AUTHOR:

BUCHNER, WILHELM

TITLE:

ADNOTATIONUM CRITICARUM...

PLACE:

SCHWERIN

DATE:

1866

Master Negative #
92-81092-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Büchner, Wilhelm,
...Annotationum criticarum ad M. Tullii Ciceronis orationem pro L. Cornelio Balbo habitam particula altera, scripsit W. Büchner... Schwerin, Bärensprung, 1866.
29 p. 28½ cm.

At head of title: Zur öffentlichen prüfung der schüler des Gymnasium Fridericianum... ladet ganz gehorsamst ein Dr. Wilhelm Büchner...

Re

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-10-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202




Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0



ZUR ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG

DER SCHÜLER

DES

GYMNASIUM FRIDERICIANUM

WELCHE

AM 1. UND 2. OCTOBER GEHALTEN WERDEN SOLL

LADET GANZ GEHORSAMST EIN

Dr. WILHELM BÜCHNER

DIRECTOR.

INHALT: 1. ANNOTATIONUM CRITICARUM AD M. TULLII CICERONIS ORATIONEM PRO L. CORNELIO BALBO HABITAM PARTICULA ALTERA. SCRIPSIT W. BÜCHNER.
2. SCHULNACHRICHTEN VON MICHAELIS 1865 BIS DAHIN 1866. VON DEMSELBEN.

SCHWERIN, 1866.
GEDRUCKT IN DER HOFBUCHDRUCKEREI VON Dr. F. W. BÄRENSPRUNG.

Anordnung der Prüfung.

Montag, den 1. October, um 8 Uhr.

Gesang aller Classen. Morgengebet.

Erste Classe $8\frac{1}{4}$ — $9\frac{3}{4}$ Uhr.

Religion	*Dr. Hager.*
Thucydides	*Director.*

Zweite Classe 10 — $11\frac{1}{2}$ Uhr.

Lateinisch	*Dr. Meyer.*
Mathematik	*Dr. Hartwig.*

Fünfte Classe $11\frac{1}{2}$ — $12\frac{1}{2}$ Uhr.

Lateinisch	*Dr. Schiller.*
Geographie	*Dr. Regel.*

Dritte Classe $3\frac{1}{4}$ — $4\frac{3}{4}$ Uhr.

Lateinisch	*Dr. Volz.*
Geschichte	*Prorector Reitz.*

Dienstag, den 2. October.

Sechste Classe $8\frac{1}{4}$ — $9\frac{1}{4}$ Uhr.

Lateinisch	*Dr. Latendorf.*
Rechnen	*Dr. Latendorf.*

Vierte Classe $9\frac{1}{4}$ — $10\frac{3}{4}$ Uhr.

Lateinisch	*Prorector Reitz.*
Mathematik	*Lehrer Brauns.*

Siebente Classe 11 — 12 Uhr.

Lateinisch	*Lehrer Rummel.*
Geographie	*Dr. Regel.*

Um $12\frac{1}{4}$ Uhr:

Abiturienten-Entlassung. Versetzung sämmtlicher Classen. Censuren-Vertheilung.

Der Unterricht im Wintersemester beginnt Montag den 15. October. Die aufzunehmenden einheimischen Knaben werden am Freitag den 12. October früh um 8 Uhr, die auswärtigen am 13. October von 8 Uhr an von mir geprüft werden.

Director Dr. Büchner.

Quum tribus fere abhinc annis Gymnasio illustri Parchimensi sacra sua saecularia tertia celebraturo Collegae mei faustissima quaeque in posterum esse precanda censuissent, accidit, ut a Carolo Wexio, quem lugubri morte sibi subito ereptum etiamnunc luget Gymnasium nostrum Fridericianum, scriptionis instituendae mihi munus deferretur, qua nos pia gratulatione collegis Parchimensibus amicissimum nostrum testificaremur animum. Nec mihi detrectandum illud quidem munus fuit; sed tamen quum futurum esse viderem, ut propter nimiam concessi spatii temporisque exiguitatem inchoare magis, quam perficere possem disputationem schola nostra ullo modo dignam, animo sane diu multumque fluctuabam, quid potissimum eligerem, quod ab instituta illa gratulatione non esset nimis alienum. Neque me quantumvis vel paucissima tantum scripturum tamen illa fefellit dubitatio; etenim quae de M. Tullii Ciceronis orationis exordio, quam pro L. Cornelio Balbo ille habuit, scripsimus, ea ita sunt comparata, ut de singulis mendis, quibus initium illud misere depravatum est, verbo tantum monere potuerimus. Quae quum ita sint, enixe sane laetor, quod occasio nunc demum mihi una omnium exoptatissima est oblata disputationis illius paullo copiosius retractandae.

Prius autem quam adnotationes nostras de illa oratione conscriptas lectori proponamus, paucis de via ac ratione disserendum est, quam nos in exercenda arte critica sumus sequuti; ac ne in alia omnia abeamus, ea, quae infra dicturi sumus, ad Ciceronis potissimum opera pertinere tenendum est. Constat autem, usque ad haec novissima fere decennia viros doctos, qui in M. Tullii Ciceronis scriptis et explicandis et in integrum restituendis elaboraverunt, eam plerumque ingressos esse viam, ut postposita veterum codicum auctoritate solo mentis acumine ingeniique sagacitate adiuti eius scripta vitiis esse perpurganda et corruptelis crederent. Quaecumque igitur ab oratore non satis recte aut cogitata aut pronuntiata videbantur, ea manu sua emendatrice illi aut corrigebant aut coniecturis suis emendabant; multa etiam iis potissimum locis, quibus Ciceronem paullo obscurius esse loquutum suspicarentur, de suo addebant; resecare autem quidquam ac prorsus exstirpare non audebant, quum, quicquid in vetustis exemplaribus aut manu scriptis aut typorum ope impressis inveniretur, id summa religione tuendum esse ac quavis ratione retinendum existimarent; unde factum est, ut hic illic ineptissima quaeque summa doctrinae copia defendere mallent quam additicia esse concedere.

Haec autem scriptoris pertractandi ratio inde ab eo tempore, quo primum typis imprimi coepti sunt veteres auctores, usque ad hanc novissimam fere valuit aetatem, et valuit ita, ut, quamvis viri eruditi iam dudum meliora edocti his novissimis temporibus prorsus aliam esse ineundam viam iusserint, tamen, quum haec nova via in singulis tantum Ciceronis scriptis perpurgandis iniri potuerit, ex inveterata illa emendandi ratione paullatim verborum textus qui vocatur

vulgatus constitueretur, quem in Editionibus operum Ciceronis omnium et vetustis et recentibus etiamnunc deprehendimus, a quibus etiam Orelliana omnium operum editio non est segreganda, quippe quae vulgatum illum textum tantummodo repetat hic illic novis curis paullisper emendatum. Qui quidem textus quamvis plurimis iisque falsissimis scateat interpretum additamentis, tamen tempore progrediente tantam nactus est auctoritatem, ut, si quis ab eo quantumvis nulla codicum fide confirmato velit recedere, ei verendum sit, ne in summam doctorum hominum incurrat vituperationem; namque additamenta illa, quippe ad orationis naevos removendos omnes scriptori adiecta, id plerumque effecerunt, ut ubique fere sermo Tullianus hodie satis appareat politus ac limatus; unde fit, ut, si cui data occasione vulgata videatur relinquenda esse scriptura, is etiam atque etiam cum animo suo reputet necesse sit, utrum audeat vulgatum illum communi omnium consensu comprobatum textum repudiare, annon.

Ex quibus angustiis ut tandem aliquando feliciter evadamus, iure quaerendum est, unde tandem ratio illa scriptorum recognoscendorum, qua pedetentim textus ille vulgatus constitutus est, suam traxerit originem. Redeundum igitur est ad ea tempora, quibus post inventam artem typographicam viri docti, quasi triumphantes et gaudentes, labori illi codicum manu describendorum tandem finem esse factum, nihil antiquius habuerunt, quam ut veteres scriptores, quo celerius ab interitu eos servarent eosque nulla posthac librariorum inscitia et incuria violandos ac depravandos posteritati traderent, typis excudendos curarent. Quo in consilio perficiendo duplici modo peccatum est. Nam primum omnium illi editores non unum aliquem codicem antiquissimum plane ita, uti scriptus fuit, una cum omnibus vitiis, mendis, lacunis, scribendi compendiis impresserunt, et ita quidem ut ad eius marginem reliquorum, quotquot iis praesto erant, codicum adnotarent aut consensum aut discrepantiam, sed codices omnes raptim undique conquisitos ita in rem suam converterunt, ut nullo eorum facto neque aetatis neque bonitatis discrimine de suo ipsorum iudicio ex iis optima quaeque, prout ferebat aut doctrinae copia aut mentis acumen et ingenii, expiscarentur, ut multa mutarent, multa corrigerent, multa etiam explicandi caussa adderent et insererent. Hinc igitur orta est illa emendandi ratio, hinc etiam orta scriptura est vulgata. Quae tametsi vel maxime improbanda sunt omnia, tamen ea ferri aliquo modo posse viderentur, nisi aliud accederet idque multo gravius incommodum ac detrimentum. Etenim de summa artis typographicae utilitate ac praestantia quamvis licet hodie non facile quisquam exstiterit, qui vel levissimam velit excitare dubitationem, tamen ea, ut tum fuere tempora, id certe non satis commode effecit, ut ex eorum animis, qui principes operum omnium editiones contexuerunt, tantum non omnis codicum mss. cura aliquamdiu evanesceret et aestimatio; fecere idem fere, quod in officinis nostris typographicis hodie solent typothetae facere, qui, posteaquam scripta nostra typis expresserunt, chartas a nobis acceptas abiiciunt misere discerptas atque dilaceratas. Simili ratione tum libri mss. tractabantur, quippe quorum, quum semel typis fixa esset ac stabilita eorum scriptura, posthac nullus futurus esset usus, nulla dignitas. Hinc igitur factum est, ut, quum situ blattarumque devastatione libri illi evanuissent, nos hodie prorsus ignoremus, quibus ex codicibus primae Ciceronis operum omnium profectae sint editiones. Quod quidem editio princeps illa pulchra ac perrara optime confirmat, quam Mediolani impressit Alex. Minutianus redemptura Guilelmorum Fratrum 1498, cuius editor teste Orellio (cf. Onom. p. 197) codicibus usus non est, sed editiones tantummodo repetiit priores. Ergo aut libros ille mss. omnino non habuit, aut, si quos habuit, iis uti noluit. At non ita diu ea valuit negligentia; nam quae non ita multo post Parisiis in aedibus Ascensianis a. 1511 typis est impressa, quam in bibliotheca asservo mea, ea priorem illam quidem Mediolanensem repetiit, sed ita ut ex codicibus scripturae discrepantiam hic illic margini adscripserit. Neque ab hac semel instituta via sequentes recedere voluerunt editores; immo quum, quanti faciendi essent libri mss., magis magisque perspexissent, eos ex bibliothecis, in quibus hic illic delitescebant, protractos

et accurate consultos ita in usum suum converterunt, ut ex iis singula, quae vulgatis meliora viderentur, nulla quidem codicum ipsorum neque aetatis neque praestantiae ratione habita tamen reciperent, vulgatam autem ut semel stabilitam ubique servarent intactam. Simul etiam vel summa diligentia eos locos investigabant, quibus codex aliquis plura scriptoris verba suppeditaret, quam usitata praeberet verborum series, eumque codicem sequebantur ut optimum, quippe rati, eos libros, in quibus pauciora exstarent verba, sola librariorum incuria esse mutilatos ac depravatos; unde pedetentim ea invaluit ratio, ut summam praestantiam iis tantum libris mss. esse tribuendam statuerent viri docti, qui plurima scriptoris verba exhiberent. Quae quum ita sint, ego quidem, ne longus sim, diligentem interpretem eam legem sequi oportere tamquam primariam dico, ut, quibus locis vulgatae scripturae nulli qui etiamnunc exstant codices addicant, eos ex deperditis libris exscriptos esse ne putet, sed ut in iis nihil aliud agnoscat nisi vetustissimorum editorum aut correcturas aut additamenta. Hi igitur loci summa sunt perquirendi accuratione et acriter quasi impugnandi, ita ut, si vel levissima in nostris libris mss. appareant discrepantiae vestigia, ex iis, si fieri ullo modo possit, scriptura genuina eruatur, vulgata autem, ut quae semel certam aliquam nacta sit auctoritatem, tum demum recte retineatur, si in codicibus auxilium inveniri possit nullum; in eiusmodi autem locis fideliter servandis etiamsi iustam ego agnoscam scriptoris manum, tamen eos non ex codicibus ipsis, sed ex ingeniosis veterum editorum coniecturis fluxisse statuo. Quae quo clarius perspiciantur, pauca iam afferamus exempla.

Ac primum quidem dicendum est de altera illa oratione, quam Cicero consul factus paucis diebus post initum illum magistratum contra P. Servilium Rullum trib. pl. de lege agraria ad populum habuit; quae quidem oratio quum pessimum olim ac prorsus insipidum nacta sit librarium, factum est, ut ea plurimis locis aut misere mutilata aut pravis corruptelis inquinata ad nos pervenerit; unde mirari non possumus, in ea interpretum plurima hodie esse conspicua additamenta. Ne diutius teneam, in ea leguntur cap. XXXVI, §. 99 haec: Haec tu cum istis tuis auctoribus excogitasti, ut ipsum Cn. Pompeium, cuius praesidio saepissime populus Romanus contra acerrimos hostes et contra improbissimos cives victor exstitit, proscribere atque horum conspectu privare possetis. Quae si codicum auctoritate niterentur omnia, profecto nihil esset, quod ullo modo reprehenderemus; immo singula sola interpretandi via illustranda viderentur. At vero quum codicibus repugnent vel maxime, paullo accuratius de iis videndum est. Corruptelae ansam, ut multis locis, sic hic quoque dedit nomen proprium. Scriptum fuit Pompeiū; ea autem nomina in codd. saepissime apparent compendio scripta, unde librarius recte legere sibi visus est Pomp. cuī, h. e. Pompeium, cuius. Ita semel corrupto loco, etiam infra librorum scriptura victorē atque horum (cf. Erfurt.) ferri iam non potuit. Exstincta igitur particula atque, quum ex victorē pessime restitutum esset victor est quumque hic victor ad alium quemquam referri non posset, quam ad populum Romanum, etiam supra ex codd. scriptura genuina rei p. (cff. codd. Oxonn., ex quibus cod. χ r. p., H S remp. C reip. exhibent), restitutus est populus Romanus, et ex praesidium emendatum est praesidio. Totum igitur locum Ascensiana nostra exhibet sic: ut ipsum Pompeium, cuius praesidio saepissime populus Romanus — victor est, horum et q. s. In his autem diu latere non potuit vitium illud victor est pro fuit; itaque sequentes editores pro est reposuerunt exstitit, Lauredanus coniecit evasit; cf. Editt. Steph. Grut. Graev., quumque iidem copulam atque diutius abesse nollent ac propter sequentem infinitivum privare ante atque simile verbum omissum esse sibi persuaderent, sine ulla dubitatione proscribere inseruerunt, quae lectio in libro ms. reperitur nullo. Sic demum orta vulgata est. At tu removeto primum mendosum illud cuius, id quod etiam in Juntina non comparet, deinde resecato additamentum proscribere, et habebis, si suo loco rep[illegible]s particulam atque, ex ipsis codicibus genuinam scriptoris manum hanc: ut ipsum Pompeium, prae-

vulgatus constitueretur, quem in Editionibus operum Ciceronis omnium et vetustis et recentibus etiamnunc deprehendimus, a quibus etiam Orelliana omnium operum editio non est segreganda, quippe quae vulgatum illum textum tantummodo repetat hic illic novis curis paullisper emendatum. Qui quidem textus quamvis plurimis iisque falsissimis scateat interpretum additamentis, tamen tempore progrediente tantam nactus est auctoritatem, ut, si quis ab eo quantumvis nulla codicum fide confirmato velit recedere, ei verendum sit, ne in summam doctorum hominum incurrat vituperationem; namque additamenta illa, quippe ad orationis naevos removendos omnes scriptori adiecta, id plerumque effecerunt, ut ubique fere sermo Tullianus hodie satis appareat politus ac limatus; unde fit, ut, si cui data occasione vulgata videatur relinquenda esse scriptura, is etiam atque etiam cum animo suo reputet necesse sit, utrum audeat vulgatum illum communi omnium consensu comprobatum textum repudiare, annon.

Ex quibus angustiis ut tandem aliquando feliciter evadamus, iure quaerendum est, unde tandem ratio illa scriptorum recognoscendorum, qua pedetentim textus ille vulgatus constitutus est, suam traxerit originem. Redeundum igitur est ad ea tempora, quibus post inventam artem typographicam viri docti, quasi triumphantes et gaudentes, labori illi codicum manu describendorum tandem finem esse factum, nihil antiquius habuerunt, quam ut veteres scriptores, quo celerius ab interitu eos servarent eosque nulla posthac librariorum inscitia et incuria violandos ac depravandos posteritati traderent, typis excudendos curarent. Quo in consilio perficiendo duplici modo peccatum est. Nam primum omnium illi editores non unum aliquem codicem antiquissimum plane ita, uti scriptus fuit, una cum omnibus vitiis, mendis, lacunis, scribendi compendiis impresserunt, et ita quidem ut ad eius marginem reliquorum, quotquot iis praesto erant, codicum adnotarent aut consensum aut discrepantiam, sed codices omnes raptim undique conquisitos ita in rem suam converterunt, ut nullo eorum facto neque aetatis neque bonitatis discrimine de suo ipsorum iudicio ex iis optima quaeque, prout ferebat aut doctrinae copia aut mentis acumen et ingenii, expiscarentur, ut multa mutarent, multa corrigerent, multa etiam explicandi caussa adderent et insererent. Hinc igitur orta est illa emendandi ratio, hinc etiam orta scriptura est vulgata. Quae tametsi vel maxime improbanda sunt omnia, tamen ea ferri aliquo modo posse viderentur, nisi aliud accederet idque multo gravius incommodum ac detrimentum. Etenim de summa artis typographicae utilitate ac praestantia quamvis licet hodie non facile quisquam exstiterit, qui vel levissimam velit excitare dubitationem, tamen ea, ut tum fuere tempora, id certe non satis commode effecit, ut ex eorum animis, qui principes operum omnium editiones contexuerunt, tantum non omnis codicum mss. cura aliquamdiu evanesceret et aestimatio; fecere idem fere, quod in officinis nostris typographicis hodie solent typothetae facere, qui, posteaquam scripta nostra typis expresserunt, chartas a nobis acceptas abiiciunt misere discerptas atque dilaceratas. Simili ratione tum libri mss. tractabantur, quippe quorum, quum semel typis fixa esset ac stabilita eorum scriptura, posthac nullus futurus esset usus, nulla dignitas. Hinc igitur factum est, ut, quum situ blattarumque devastatione libri illi evanuissent, nos hodie prorsus ignoremus, quibus ex codicibus primae Ciceronis operum omnium profectae sint editiones. Quod quidem editio princeps illa pulchra ac perrara optime confirmat, quam Mediolani impressit Alex. Minutianus redemptura Guilelmorum Fratrum 1498, cuius editor teste Orellio (cf. Onom. p. 197) codicibus usus non est, sed editiones tantummodo repetiit priores. Ergo aut libros ille mss. omnino non habuit, aut, si quos habuit, iis uti noluit. At non ita diu ea valuit negligentia; nam quae non ita multo post Parisiis in aedibus Ascensianis a. 1511 typis est impressa, quam in bibliotheca asservo mea, ea priorem illam quidem Mediolanensem repetiit, sed ita ut ex codicibus scripturae discrepantiam hic illic margini adscripserit. Neque ab hac semel instituta via sequentes recedere voluerunt editores; immo quum, quanti faciendi essent libri mss., magis magisque perspexissent, eos ex bibliothecis, in quibus hic illic delitescebant, protractos

et accurate consultos ita in usum suum converterunt, ut ex iis singula, quae vulgatis meliora viderentur, nulla quidem codicum ipsorum neque aetatis neque praestantiae ratione habita tamen reciperent, vulgatam autem ut semel stabilitam ubique servarent intactam. Simul etiam vel summa diligentia eos locos investigabant, quibus codex aliquis plura scriptoris verba suppeditaret, quam usitata praeberet verborum series, eumque codicem sequebantur ut optimum, quippe rati, eos libros, in quibus pauciora exstarent verba, sola librariorum incuria esse mutilatos ac depravatos; unde pedetentim ea invaluit ratio, ut summam praestantiam iis tantum libris mss. esse tribuendam statuerent viri docti, qui plurima scriptoris verba exhiberent. Quae quum ita sint, ego quidem, ne longus sim, diligentem interpretem eam legem sequi oportere tamquam primariam dico, ut, quibus locis vulgatae scripturae nulli qui etiamnunc exstant codices addicant, eos ex deperditis libris exscriptos esse ne putet, sed ut in iis nihil aliud agnoscat nisi vetustissimorum editorum aut correcturas aut additamenta. Hi igitur loci summa sunt perquirendi accuratione et acriter quasi impugnandi, ita ut, si vel levissima in nostris libris mss. appareant discrepantiae vestigia, ex iis, si fieri ullo modo possit, scriptura genuina eruatur, vulgata autem, ut quae semel certam aliquam nacta sit auctoritatem, tum demum recte retineatur, si in codicibus auxilium inveniri possit nullum; in eiusmodi autem locis fideliter servandis etiamsi iustam ego agnoscam scriptoris manum, tamen eos non ex codicibus ipsis, sed ex ingeniosis veterum editorum coniecturis fluxisse statuo. Quae quo clarius perspiciantur, pauca iam afferamus exempla.

Ac primum quidem dicendum est de altera illa oratione, quam Cicero consul factus paucis diebus post initum illum magistratum contra P. Servilium Rullum trib. pl. de lege agraria ad populum habuit; quae quidem oratio quum pessimum olim ac prorsus insipidum nacta sit librarium, factum est, ut ea plurimis locis aut misere mutilata aut pravis corruptelis inquinata ad nos pervenerit; unde mirari non possumus, in ea interpretum plurima hodie esse conspicua additamenta. Ne diutius teneam, in ea leguntur cap. XXXVI, §. 99 haec: Haec tu cum istis tuis auctoribus excogitasti, ut ipsum Cn. Pompeium, cuius praesidio saepissime populus Romanus contra acerrimos hostes et contra improbissimos cives victor exstitit, proscribere atque horum conspectu privare possetis. Quae si codicum auctoritate niterentur omnia, profecto nihil esset, quod ullo modo reprehenderemus; immo singula sola interpretandi via illustranda viderentur. At vero quum codicibus repugnent vel maxime, paullo accuratius de iis videndum est. Corruptelae ansam, ut multis locis, sic hic quoque dedit nomen proprium. Scriptum fuit Pompeiū; ea autem nomina in codd. saepissime apparent compendio scripta, unde librarius recte legere sibi visus est Pomp. cuī, h. e. Pompeium, cuius. Ita semel corrupto loco, etiam infra librorum scriptura victorē atque horum (cf. Erfurt.) ferri iam non potuit. Exstincta igitur particula atque, quum ex victorē pessime restitutum esset victor est quumque hic victor ad alium quemquam referri non posset, quam ad populum Romanum, etiam supra ex codd. scriptura genuina rei p. (cff. codd. Oxonn., ex quibus cod. χ r. p., H S remp. C reip. exhibent), restitutus est populus Romanus, et ex praesidium emendatum est praesidio. Totum igitur locum Ascensiana nostra exhibet sic: ut ipsum Pompeium, cuius praesidio saepissime populus Romanus — victor est, horum et q. s. In his autem diu latere non potuit vitium illud victor est pro fuit; itaque sequentes editores pro est reposuerunt exstitit, Lauredanus coniecit evasit; cf. Editt. Steph. Grut. Graev., quumque iidem copulam atque diutius abesse nollent ac propter sequentem infinitivum privare ante atque simile verbum omissum esse sibi persuaderent, sine ulla dubitatione proscribere inseruerunt, quae lectio in libro ms. reperitur nullo. Sic demum orta vulgata est. At tu removeto primum mendosum illud cuius, id quod etiam in Juntina non comparet, deinde resecato additamentum proscribere, et habebis, si suo loco reposueris particulam atque, ex ipsis codicibus genuinam scriptoris manum hanc: ut ipsum Pompeium, prae-

sidium saepissime reipublicae contra acerrimos hostes et contra improbissimos cives atque victorem, horum conspectu privare possetis. Praeterea verbo monendum videtur, etiam in iis, quae supra ex antecedentibus transscripta nostro loco praemisimus, satis luculentum inesse vitium. Nam pro auctoribus, quod Lauredani debetur ingenio, codices omnes praebent actoribus, sola Juntina exhibet coactoribus. At quis in hac tam acerba oratione ullo modo ferat tam mitem atque adeo tam ieiunam satellitum illorum significationem? quis non gravius aliquod exspectaverit convicium? Immo Juntina satis perspicue nobis viam demonstrat verae scripturae indagandae; scripsit orator cum istis tuis decoctoribus.

Quae nostro loco statim sequuntur, ea item ut corruptissima notavit Orellius; sunt autem haec: ut nihil auro et argento violari, nihil numero et suffragiis declarari, nihil vi et manu perfringi posset, quod non vos oppressum atque ereptum teneretis. In his igitur mitissimum illud declarandi verbum cum atrocissimis violandi et perfringendi non facile posse consociari, viro docto sane dandum est. Pro quo quid substituendum sit, pro certo quidem affirmare non ausim; sed tamen, si quid video, ex seqq. oppressum et ereptum non sine aliqua probabilitate concluseris, de republica tribuario sodalitiorum crimine evertenda sermonem esse; itaque si Ciceronem ipsum pro Milon. c. IX, §. 24 sic dicentem consulueris: P. Clodius quum — integrum annum ad dilacerandam rempublicam quaereret, subito reliquit annum suum seque in annum proximum transtulit, non, ut fit, religione aliqua, sed ut haberet — ad evertendam rempublicam plenum annum atque integrum, profecto unius litterulae transpositione veram scriptoris manum restitues; scripsit enim delacerari. Littera autem c quum scribendi errore ante lit. l esset posita, factum est declaerari, unde tritum illud declarari a librariis non potuit non reponi. In quo verbo damnando si nos facile sibi assentientes habuit Orellius, tamen pace doctrinae viri docti dixerim, me hucusque, cur etiam sequentia in suspicionem vocarit, assequi non potuisse. Addit enim haec: Deinde, nisi forte in his latet summum artificium rhetoricum, mihi nondum perspectum, verba ipsa, si recte attendas, haec significant: omnia, quae v. c. egomet ipse auro et argento violare, vi et manu perfringere vel cuperem vel possem, ea malum! vos oppressa et erepta iam tenebitis, ita ut ego nec violare ea nec perfringere queam. At vero qua tandem ratione Orellius ex Ciceronis verbis hoc expiscatus est? Nam si optime Latini dicunt, id quod exemplis confirmandum esse non videtur: nihil sceleris concipi potest, quod tu non conceperis, h. e. quicquid concipi potest, tu concepisti, profecto quid tandem est, quod in his reprehendas, quum loci sententia haec sit: haec tu cum istis tuis decoctoribus excogitasti, ut, quicquid auro et argento violari posset, vos violando, dilacerando, perfringendo oppressum teneretis et ereptum? Denique non pigebit paucis inquirere de vulgata scriptura vi et manu, quam ex duobus Oxonn. receptam reliqui libri mss. non agnoscunt, quippe ad unum omnes exhibentes aut nihil velata manu aut nihilve elata m. Concludi autem sic debet, ex vulgata, si Ciceronis est, non posse intelligi, qua ratione codicum corruptela effici potuerit; contra ex codicibus potuisse facillime syllabis aliquot omissis nasci vulgatam. Ergo certum videri debet, plura scripsisse oratorem. Rem perturbavit scribendi vitium. Librarius enim quum casu omisisset voculam vi, eam posthac supra lineam falso loco apposuit effecitque scripturam nihivillata et manu; hinc factum deinde nihilvilata, unde post expunctam et particulam orta est perversa illa lectio nihilvelata. Vera est lectio: *nihil illata vi et manu.*

Et quoniam supra litterarum transpositionis scribendi erroribus ortae mentio facta est, ex magno exemplorum numero hic pauca eius rei exempla subiicienda videntur, quo clarius appareat, quam sit etiamnunc orator noster inquinatus omni vitiorum et corruptelarum genere. Legimus apud eum pro Sest. c. 63 §. 131 in codd. omnibus haec: quum ipsis Nonis Sextilibus idem

dies adventus mei fuisset reditusque, natalis idem carissimae filiae, — idem etiam ipsius coloniae Brundusinae, idem ut scitis: quumque me et q. s. Verba idem ut scitis quum corrupta sint, viri docti ex iis, quae Cicero ad Attic. dedit lib. IV, 1 §. 4 sic: Brundisium veni Nonis Sext. Ibi mihi Tulliola mea fuit praesto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat et Brundusinae coloniae et tuae vicinae Salutis, vocem Salutis nostro loco addiderunt, sed ita ut perversum illud ut scitis retinerent summaque disputandi subtilitate defenderent; cf. Halm. p. 295. Quod quam sit ineptum, iam dudum recte vidit Madvigius, qui iure interrogavit, cur tandem Cicero hoc loco iudicum testimonio uti voluerit, quum exspectari non possit, fuisse in numero eorum quemquam, qui illo die aut Tulliolam natam, aut coloniam Brundusinam deductam, aut denique templum illud Salutis esse conditum sciret. Sunt autem verba ut scitis certissime expungenda. Cur ita? quod nihil aliud contineant, quam v. Salutis. Casu enim scripserat librarius idem salis; quod quum emendasset supra scripta syllaba ut (salutis), inde factum posthac est ut salis idque diducta littera a in ci abiit in perversum illud ut scitis. Simili fere ratione in eadem Sestiana infra §. 131 verba sunt restituenda, ubi in his: quumque me domus eadem optimorum et doctissimorum (codd.) virorum — laetissima excepisset, Garatonius pro doctissimorum satis audacter reposuit fortissimorum. Immo transponito litteras c et t et legito recte nobiscum dolcissimorum.

Jam paucis ad Servilianam redeundum est. Exstat eodem capite, quod supra attigimus, statim ab initio locus, quem, ni me fallunt omnia, sola veteris librarii incuria mancum fecit ac mutilum. Totum versum excidisse fatetur Ascensiana nostra, neque Veneta dissentit, in qua teste Orellio defectus triginta minime litterarum est conspicuus. Verba, si vulgatam sequimur, haec sunt: haec tu cum istis tuis decoctoribus excogitasti, ut vetera vectigalia venderetis et expleretis nova: ut urbi Capuam ad certamen dignitatis opponeretis; cf. cap. XXXVI, §. 98. Quae lacuna qua sit explenda ratione, pro certo sane affirmare nemo potest. Sed tamen, si quid video, hic unus est ex eorum locorum numero, quibus librariorum oculi a voce aliqua ad eamdem infra sequentem aberrantes in libris nostris defectum aliquem effecerunt. Incipit enim lacuna vocabulo novo (codd.), unde eodem etiam desinere eam verisimile est. Quaerendum igitur, quid inter utrumque excidisse videatur. Ex verbis autem ad certamen dignitatis opponeretis certissime concludi debet, id quod convincunt omnia, quae in antecedentibus exposuit orator, hic de urbe Capua esse sermonem. Itaque vetera illa vectigalia, i. e. agri vectigales (cf. Gesn. thes. s. v.) non possunt hic significari alii nisi agri Campani. In eos autem quum suos deduci vellet Rullus colonos, profecto de iis vendendis, id quod voluere interpretes, loqui Cicero non potuit; immo de coëmendis tantum sermo esse potuit. Videamus igitur, quid expuncto illo additamento venderetis, quod in nullo exstat codice, verbum expleretis sibi velit quidve significet. Quodsi veteres audimus grammaticos, in eo inest minuendi vis ac ratio; neque ea, licet per se statui nequeat, tamen ullo modo est addubitanda, si modo recte intelligatur. Nam si lacunam explere rectissime dicunt Latini (cf. Cic. Verr. II, cap. 65 §. 138), h. e. efficere, ut lacuna minuatur ac paullatim prorsus evanescat, sic nostro loco agros vectigg. explere nihil est aliud, nisi novis colonis in eos deducendis id assequi, ut, quum agri ipsi per novos possessores dividantur, ii vectigales esse populi Romani desinant; minuuntur igitur vetera vectigalia et evanescunt. Quae interpretatio si haud improbabilis esse videatur, codicum scriptura vectt. ea expleretis sic refingenda est, ut eam ortam dicamus ex oĩa, h. e. omnia. Quodsi assumpseris, totius nostrae orationis tamquam cardinem in eo verti, ut P. Servilio Rullo ne liceat una cum sociis suis in fertiles Campaniae agros vectigales audacissimum satellitum suorum numerum deducere, nimirum ut prohibeatur, quominus ex colonorum illorum colluvie nova olim Capua insolentiae et arrogantiae plena eademque Urbi ipsi infestissima exoriatur, nostrum locum sic fere a Cicerone scriptum esse

coniicimus: haec tu-excogitasti, ut vetera vectigalia omnia expleretis novo *importunissimorum satellitum vestrorum praesidio et Capuam novam* Urbi ad certamen dignitatis opponeretis. In his igitur describendis quum librarius a superiore novo, quod iam exaraverat, ad inferius novā oculis aberrasset, statim ille verba Urbi etc. superioribus adiunxit totumque locum misere mutilavit.

Non minores nobis occurrunt in ultimo huius orationis capite difficultates; ac statim quidem ab initio in plurimis codd. corruptissima apparent verba haec: Quam rem modo si vita suppetat quam ego sum is ab istorum scelere insidiisque defendere polliceor (cf. Erfurt.). Hinc fluxit Ed. Ascensianae scriptura: quare modo ut vita suppetat, quam ego sum is qui ab i. sc. i. defendere polliceor, unde posthac viri docti excogitaverunt vulgatam: quamquam ego sum is, qui eam possim — defendere (cf. Ernest.); in vulgata autem solus Orellius voluit acquiescere, qui ex Juntina locum emendavit sic: quam ego, si quivero, ab istorum sc. i. defendam. Quae si consideraveris, certe quid a Cicerone sit profectum, vix ac ne vix quidem possis dignoscere; adeo sunt confusa omnia ac perturbata. Et tamen si item codicum vestigia persequi volueris paullo accuratius, ex ineptis illis reliquiis veram scriptoris manum indagaveris facillime. Nam primum omnium certissimum est, in voculis sumis a librario male lectis ideoque pessime dissectis latere syllabas simus, ex eoque errore totius loci corruptelae originem esse deducendam; nam ex syllaba po postea factum est go, et particula si, quae praecedebat, falso loco ante vita est collocata. Quae quum ita sint, nihil est, cur Orellio fidem habeamus, loci depravationem natam esse suspicanti ex forma quivero, cuius ego quidem nullo in libro ms. inveni ullum vestigium, neque illud ei est assentiendum, pessimum illum infinitivum defendere — verba ipsius sunt — a perversa constructione cum seq. verbo polliceor esse profectum. Immo optime totum locum Cicero sic scripsit: Quare modo vita suppetat! quam si possimus ab istorum scelere insidiisque defendere, polliceor hoc vobis, Quirites, bona fide: rempublicam vigilanti homini, non timido, diligenti commisistis. Vèrbo moneo, me ex vulgata post diligenti ineptum illud eiecisse glossema non ignavo, id quod neque codices agnoscunt, neque Ascensiana nostra exhibet. Intruserunt veteres editores lectore non monito, quippe sic ratiocinati, uti post vigilanti sequeretur non timido, sic etiam post diligenti concinnitatis caussa sequi debere non ignavo. At illi hoc non satis attenderunt, non timido dictum esse pro audaci.

Ceterum ne diutius in his commoremur perpurgandis, tantummodo eos ex hoc capite afferamus locos, quos Orellius ut conclamatos obelisco notavit. Quem ego virum criticum licet summi faciam, tamen eum, ut sexcentis locis propter nimiam operis perficiendi festinationem ab eo male intellectis, ita hic quoque rem suam non satis caute egisse ingenue fateor. Etenim ὀβελίζει ille, quae §. 102 leguntur sic: Non modo vos eritis in otio, qui semper esse volueritis, verum etiam istos, quibus otiosi negotium facessimus, otiosissimos reddam. At ille mire sibi imponi passus est ab editoribus, qui, cum codicum obscuriores illas quidem scripturas, sed iusto sensu minime destitutas non intelligerent, totum locum commentis suis misere vexaverunt. Exhibent libri mss. ad unum omnes quibus otiosi otium fecissemus atque otiosos reddam. Ex quibus quid quaeso effinxerunt interpretes? Singulas vulgatae explicationes videsis apud Orellium; hic unam tantum affero Wolffii coniecturam satis facilem et ingeniosam hanc: quibus otiosi odium fecissemus. Sed eam recte iam refutavit Orellius sic: non male, si hoc significarent verba Latina (denen wir durch Ruhe Widerwillen erwecken); sed *odium facere alicui* est: *aliquem odiosum, invisum reddere,* neque hoc loquendi modo usquam utitur Tullius. Coniecturis autem opus est nullis, modo ex corrupta particula atque veram refinxeris lectionem aeque. Verba enim otiosi-fecissemus non ad Quirites orator, sed

ad semetipsum retulit eo sensu, ut non sine acerba quadam adversariorum irrisione haec fere eum dicere voluisse manifestum sit, si otiosus mansisset, i. e. si erepto consulatu munerum expers ad vitam otio peragendam reiectus esset, futurum fuisse, ut summam adversariis securitatem efficeret, ita ut per otium dilacerare rempublicam possent et evertere. Itaque non sine ironia quadam vocem otium hic usurpavit ambigue, ita ut haec fere voluisse sit putandus: denen ich, wofern ich zum Verzicht auf das Consulat, also zum *Otium* gezwungen worden wäre, sicherlich dadurch die nöthige Musse verschafft haben würde, den Staat in aller Ruhe zu Grunde zu richten. De structura verborum, quae optima est, nihil est quod addam; si copiosius dicere voluisset orator, sic fere scripsisset: quibus, si otiosi mansissemus, profecto otium fecisse videremur — opportunissimum.

Quae sequuntur verba: etenim illi honores, potestates, divitiae ex tumultu atque ex dissensionibus civium comparari solent: vos, quorum gratia in suffragiis consistit, libertas in legibus, honos in iudiciis et aequitate magistratuum, res familiares in pace, omni ratione otium tenere debetis, ea sane sunt ita scripta, ut, quid de iis sentiam, admodum dubitanter proferendum esse videatur. Primum illud quidem membrum codd. omnium nititur auctoritate; sed in eo scabri aliquid inest, quod non reticeam. Nam dativus illis utrum positus sit pro ab illis, an casus sit commodi, non satis liquet. Illud autem repugnaret certissime eleganti Ciceronis loquendi consuetudini, hoc dubium relinqueret, cuius tandem auxilio illis honores, potestates, divitiae compararentur. Denique etiam sequentia vos — debetis hic quoque similem eamque magis concinnam efflagitant verborum structuram. Quae quum ita sint, illis ortum suspicor ex illis, i. e. illi sibi, ac rescribo locum: etenim illi sibi — divitias ex tumultu — comparare solent, vos etc. Paullo difficilius ad intelligendum sane membrum est alterum, quippe quod in codicibus mss. summis sit obscuratum vitiis; nam pro vulgata, quae Lauredani coniectura est, libri mss. praebent et aequitate magnos timores familiares in pace. Quod si vera est Lauredani suspicio, profecto nullo modo potest perspici, qua ratione librorum corruptela inde oriri potuerit. Ergo, nisi fallunt nos omnia, in libris nescio quid etiamnunc latet, quod hucusque virorum doctorum oculos supterfugisse videri debeat. Ac primum quidem verbum honos cum magistratibus hoc certe loco quicquam habere commune praefracte equidem nego; nam civium illa quidem gratia in suffragiis, libertas in legibus recte consistit, in magistratuum aequitate non item, quum aequitas illa magistratibus potius, quam civibus sit honori. Lucem aliquam accipiunt verba ex loco pro Caecina cap. XI §. 33: Convocari homines propter possessionis controversiam non oportet: armari multitudinem iuris retinendi caussa non convenit; nec iuri quidquam tam inimicum, quam vis: nec aequitati quicquam tam infestum est, quam convocati homines et armati. Itaque sensus est: vobis honori est, non iam ad vim et arma confugere, sed iudiciis et aequitate vestras componere dissensiones. Quid autem faciamus codicum illis quisquiliis magnos timores familiares? Unum illud quidem certum est, v. timores ortum esse ex prava incerti alicuius vocabuli coniunctione cum v. res f.; deinde non minus certum est, structuram verborum res famm. in pace eam esse, ut ex enuntiato relativo quorum etc. seiungi non possint. Quibus constitutis nihil aliud remanet nisi obscurum illud magnos timo. Quod si diligentius consideraveris, ex litterarum ductibus recte sane repones magno stutio; nam ex litteris iti orta est m littera. At quid iam fiet praecedente vocula aequitate? Si consulimus codicem ms. Gudianum 65, quem ex bibliotheca Guelferbytana ante hos decem fere annos ad me allatum diligentissime inspexi ipse, plurimis sane locis in fine verborum compendia deprehendimus haec ;, ˥, ˜, quibus multiplex litterarum vel syllabarum etiam genus solet significari; cff. pro Balb. §. 3 comprehendiss; pro comprehendisset; §. 5 dignu; pro dignum; ibid. extremu; pro extremum; §. 31 dū˥ pro dominum;

§. 17 civitatⁿ pro civitatis; §. 28 ciuⁿ pro civis; §. 31 iurⁿ pro iuris; §. 47 conspiciatⁿ pro conspiciatis; §. 51 nobilitatⁿ pro nobilitatis; §. 64 sentiatⁿ pro sentiatis; §. 30 nostri iur̄ et more, pro nostri iuris et moris. Hinc saepissime librariorum inscitia factum est, ut litteram e reperiamus exaratam pro is; cff. §. 21 iure pro iuris et inversa ratione §. 31 de civitatis pro civitate; §. 29 civitate pro civitatis; denique ex eadem compendii confusione etiam um prodiit pro is; cff. §. 30 dissensionum pro dissensionis; ibid. disputationum pro disputationis. Quae si ponderaveris, nostro quoque loco pro aequitate scriptum fuisse aequitatis certissimum est, unde totam Ciceronis sententiam restituo sic: vos, quorum — honos in iudiciis et aequitatis magno studio, res familiares in pace (consistunt), omni ratione otium tenere debetis. De grammatica horum verborum structura nulla potest esse controversia; sed si abesset magno, rhetoricae melius videretur esse consultum. In seqq. cave ne otium tenere idem esse velis, quod nos dicimus Ruhe halten, vel quod Graeci significant vv. ἡσυχίαν ἄγειν vel ἔχειν; immo tenere dictum est pro defendere, tueri. Unde vides, cur in aliquot libris mss. oriri potuerit scripturae discrepantia retinere.

Nec minores afferunt difficultates ea, quae statim ab oratore subiiciuntur; sunt enim ea ita comparata, ut ne ex vulgata quidem, quamtumvis ea multis et librariorum et editorum emendationibus sit exornata, sensum elicias, qui ullo modo ferri possit. Leguntur autem §. 103 haec: Nam si ii, qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in turpi sua inertia capiunt voluptatem: sub ipso otio, quo vos fortunam regitis, si hunc statum, quem habetis, esse meliorem non ignoratis, non ut quaesitum, sed vita partum otium tenueritis. In his igitur omnia sunt misera et turpia; in his nihil est, quod non sit commaculatum insipidi librarii inscitia. Et tamen, si quid nobis circumspiciendum est auxilii, id ex solis ab eodem imperito monacho relictis vestigiis est anquirendum. Pro nam si ii cod. Erf. nam et si ii, Oxonn. tametsi ei, vel tametsi hi vel etiam nam tametsi ii exhibent. Haec autem omnia librariorum niti conjectura, qui propter sequentem part. tamen hic male omissam esse putarent particulam concessivam, in propatulo est; unde simul certissime consequitur, eos non et copulam, sed si in verborum seriem inseruisse. Id autem fecerunt, quod optimam illam Ciceronis dicendi consuetudinem perspectam non habebant, qua ille enuntiationes concessivas quas dicunt saepissime vel una tantum vocula significare solet. Sic nostro loco tamen pertinet ad propter desidiam, et sensus est: qui quamquam desidia commoti in otio vivunt, tamen et q. s.; itaque tamen cum vv. nam et etc. nihil habet commune. Cicero scripsit nam et ii, qui, denn *auch* diejenigen, welche; nec, si qui me reprehendent, quod contra Laurentii Vallae praeceptum et pro etiam scriptum fuisse defendam, ii ullo modo sunt audiendi; vide modo, quae de hac re satis copiose nos olim disputavimus ad M. T. Ciceronis Orat. pro Sex. Roscio Amer. p. 281 sqq. Plura dabit etiam eaque optima Hand. Tursell. Vol. II, p. 508 sqq., qui ibidem vocularum nam et structurae certissima attulit exempla; iisque nostrum addere non dubito, quippe quod omnium codd. auctoritate sit fultum. Non minore depravatione laborant sequentia sub ipso otio, quae, quum propter vv. in turpi sua inertia neque ad priora, neque ad sequentia propter vv. si hunc statum etc. recte referri possint, sano sensu destituta omnino esse videri debent. Accedit, quod pro sub in cod. Erf. clare scriptum est sed idque etiam Lambini firmant libri mss., ex quibus ille recepit si ipso otio; sed non satis vir doctus ad compendium s; attendit, quo non si particula, sed vocula set (sed) solet significari. In hac igitur syllaba latet loci corruptela. Rescribo voluptatem ex ipso otio. Hic posset sane quispiam coniicere, scripsisse oratorem voluptates, quia depravationis origo inde multo facilius perspiceretur; nam sed ortum diceres ex littera finali praecedentis verbi cum corrupta particula et conglutinata; cf. Hand. l. l. p. 539 sqq.; de confusione vocularum et et ex eumdem vide Hand. ibid. p. 662 sqq. Sed vereor, ut numerus pluralis recte sese habeat.

Quod cur ita statuam, iudicio magis quodam sentiri , quam praecepto tradi; manifestum autem est, Ciceronem hoc fere dicere, ignavis illis hominibus vel ipsum otium esse *voluptati*. Itaque retinenda est lectio voluptatem ac dicendum, litteram s ex male intellecto compendio voluptateⁿ (cf. pro Balb. §. 64, ubi clare exstat in Gudiano homīcⁿ, h. e. hominem) ortam esse et ad sequens vocabulum traductam.

Quae deinde legimus: quo vos fortunam regitis, ea sane omnium codd. defenduntur auctoritate; neque tamen ea non esse corrupta, sententia ipsa confirmatur luculentissime, quum homines a fortuna regi inter omnes constet, fortunam ab hominibus non item. Ne nimiam in iis enucleandis consumamus operam ac laborem, oratorem scripsisse contendimus ġeritis, i. e. igitur eritis, unde librarii errore effictum est regitis. Sententia est: *qua vos fortuna igitur eritis, si* etc. cf. Cic. ad Brut. Ep. 1, sub fin.: Clodium tibi amicissimum existima civemque talem, qualis et prudentissimus et fortuna optima esse debet. Deinde de loco particulae igitur vide recte et copiose disputantem Hand. Vol. III, p. 197. Longe maior totius sententiae perturbatio obvia est in sequentibus, quae in omnibus libris mss. tam putide sunt exarata, ut non sine taedio quodam ab homine critico pertractari queant. Reperiuntur enim in iis haec: si hunc statum, quem habetis, esse non ignoravi, an quaesitum, sed vita partum otium tenueritis, eaque firmat Ascensiana; sequentes demum editores, corrupto ignoravi inducti, et meliorem adiecerunt et ex ignoravi perversum illud ignoratis refinxerunt. At cui bono? quem sensum inde elicuerunt ullo modo tolerabilem? Emendandi viam sola aperit quae praecedit sententia: qui propter desidiam in otio vivunt et q. s. Hinc enim satis est perspicuum, ignoravi an corruptum esse ex ignavia; deinde pro vita scriptum fuisse verisimile est ūtē, h. e. virtute; denique tenueritis hoc loco accipiendum esse pro intellexeritis, quis est qui non videat? Quae si vera sunt, orator optime sic erit in integrum restitutus: qua vos fortuna igitur eritis, si hunc statum, quem habetis, esse non ignavia quaesitum, sed virtute partum otium tenueritis?

Sed ut finem tandem huic labori imponamus, iam de sequentibus ut apto sensu prorsus destitutis paucis tantummodo verbis disserendum est. Vulgatam pessime corruptam habemus hanc: Quod ego et concordia, quam mihi constitui cum collega, invitissimis iis hominibus, quos in consulatu inimicos esse et animis et corporis actibus providi: omnibus prospexi sane et revocavi. Idem tribunis plebis denuntiavi, ne quid turbulenti me consule conflarent. Quae quibus ex codicum vestigiis sit profecta, optime sane apparebit, si vestigia ipsa in examen vocaveris. Exhibet Erfurt.: invictissimis iis hominibus quos vos in consulatu inimico esse et corporis actibus providi. Similia fere praebent codd. Oxonn., nisi quod pro consulatu exhibent consu, vel cōs. vel cons. In his ortum esse vitium quos vos ex litteris male disiunctis q uos sine ulla concedendum est dubitatione. Reliqua prorsus insipida sunt et perversa. Nam neque vv. in consulatu pro vera lectione accipi possunt, quia Ciceronis adversarii non solum in consulatu, verum etiam ante cons. et post consulatum eum summo odio vexasse putandi sunt, et sequentia summae depravationis signa prae se ferunt omnia. Adversarii igitur illi quum ipsi consuli essent inimicissimi, id ipsum nostro loco non potest non esse significatum. Natum autem vitium in cons. est ex pessime perspectis compendiis m cōs. aīo, unde primum in consulato, deinde correctione in consulatu locum obtinuit, quum tamen vera sit lectio mihi consuli animo. In sequentibus expuncto editorum additamento et animis, quod propter sequens et corporis insertum est, corporis illi actus totius loci, quippe non intellecti, perturbationem videntur excitasse. Tenendum autem est, oratorem, quum in foro ad Quirites orationem suam habeat, in audientium numero etiam adversarios suos conspicere. Itaque istos hoc nostro loco quasi descripsisse videri debet, et ita descripsisse, ut eos corporis sui motibus

§. 17 civitat̄ pro civitatis; §. 28 ciu̅ pro civis; §. 31 iur̄ pro iuris; §. 47 conspiciat̄ pro conspiciatis; §. 51 nobilitat̄ pro nobilitatis; §. 64 sentiat̄ pro sentiatis; §. 30 nostri iur̄ et more, pro nostri iuris et moris. Hinc saepissime librariorum inscitia factum est, ut litteram e reperiamus exaratam pro is; cff. §. 21 iure pro iuris et inversa ratione §. 31 de civitatis pro civitate; §. 29 civitate pro civitatis; denique ex eadem compendii confusione etiam um prodiit pro is; cff. §. 30 dissensionum pro dissensionis; ibid. disputationum pro disputationis. Quae si ponderaveris, nostro quoque loco pro aequitate scriptum fuisse aequitatis certissimum est, unde totam Ciceronis sententiam restituo sic: vos, quorum — honos in iudiciis et aequitatis magno studio, res familiares in pace (consistunt), omni ratione otium tenere debetis. De grammatica horum verborum structura nulla potest esse controversia; sed si abesset magno, rhetoricae melius videretur esse consultum. In seqq. cave ne otium tenere idem esse velis, quod nos dicimus Ruhe halten, vel quod Graeci significant vv. *ἡσυχίαν ἄγειν* vel *ἔχειν*; immo tenere dictum est pro defendere, tueri. Unde vides, cur in aliquot libris mss. oriri potuerit scripturae discrepantia retinere.

Nec minores afferunt difficultates ea, quae statim ab oratore subiiciuntur; sunt enim ea ita comparata, ut ne ex vulgata quidem, quamtumvis ea multis et librariorum et editorum emendationibus sit exornata, sensum elicias, qui ullo modo ferri possit. Leguntur autem §. 103 haec: Nam si ii, qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in turpi sua inertia capiunt voluptatem: sub ipso otio, quo vos fortunam regitis, si hunc statum, quem habetis, esse meliorem non ignoratis, non ut quaesitum, sed vita partum otium tenueritis. In his igitur omnia sunt misera et turpia; in his nihil est, quod non sit commaculatum insipidi librarii inscitia. Et tamen, si quid nobis circumspiciendum est auxilii, id ex solis ab eodem imperito monacho relictis vestigiis est anquirendum. Pro nam si ii cod. Erf. nam et si ii, Oxonn. tametsi ei, vel tametsi hi vel etiam nam tametsi ii exhibent. Haec autem omnia librariorum niti conjectura, qui propter sequentem part. tamen hic male omissam esse putarent particulam concessivam, in propatulo est; unde simul certissime consequitur, eos non et copulam, sed si in verborum seriem inseruisse. Id autem fecerunt, quod optimam illam Ciceronis dicendi consuetudinem perspectam non habebant, qua ille enuntiationes concessivas quas dicunt saepissime vel una tantum vocula significare solet. Sic nostro loco tamen pertinet ad propter desidiam, et sensus est: qui quamquam desidia commoti in otio vivunt, tamen et q. s.; itaque tamen cum vv. nam et etc. nihil habet commune. Cicero scripsit nam et ii, qui, denn *auch* diejenigen, welche; nec, si qui me reprehendent, quod contra Laurentii Vallae praeceptum et pro etiam scriptum fuisse defendam, ii ullo modo sunt audiendi; vide modo, quae de hac re satis copiose nos olim disputavimus ad M. T. Ciceronis Orat. pro Sex. Roscio Amer. p. 281 sqq. Plura dabit etiam eaque optima Hand. Tursell. Vol. II, p. 508 sqq., qui ibidem vocularum nam et structurae certissima attulit exempla; iisque nostrum addere non dubito, quippe quod omnium codd. auctoritate sit fultum. Non minore depravatione laborant sequentia sub ipso otio, quae, quum propter vv. in turpi sua inertia neque ad priora, neque ad sequentia propter vv. si hunc statum etc. recte referri possint, sano sensu destituta omnino esse videri debent. Accedit, quod pro sub in cod. Erf. clare scriptum est sed idque etiam Lambini firmant libri mss., ex quibus ille recepit si ipso otio; sed non satis vir doctus ad compendium s; attendit, quo non si particula, sed vocula set (sed) solet significari. In hac igitur syllaba latet loci corruptela. Rescribo voluptatem ex ipso otio. Hic posset sane quispiam coniicere, scripsisse oratorem voluptates, quia depravationis origo inde multo facilius perspiceretur; nam sed ortum diceres ex littera finali praecedentis verbi cum corrupta particula et conglutinata; cf. Hand. l. l. p. 539 sqq.; de confusione vocularum et et ex eumdem vide Hand. ibid. p. 662 sqq. Sed vereor, ut numerus pluralis recte sese habeat.

Quod cur ita statuam, iudicio magis quodam sentiri potest, quam praecepto tradi; manifestum autem est, Ciceronem hoc fere dicere, ignavis illis hominibus vel ipsum otium esse *voluptati*. Itaque retinenda est lectio voluptatem ac dicendum, litteram s ex male intellecto compendio voluptate̅ (cf. pro Balb. §. 64, ubi clare exstat in Gudiano homi̅c̅, h. e. hominem) ortam esse et ad sequens vocabulum traductam.

Quae deinde legimus: quo vos fortunam regitis, ea sane omnium codd. defenduntur auctoritate; neque tamen ea non esse corrupta, sententia ipsa confirmatur luculentissime, quum homines a fortuna regi inter omnes constet, fortunam ab hominibus non item. Ne nimiam in iis enucleandis consumamus operam ac laborem, oratorem scripsisse contendimus ᵍeritis, i. e. igitur eritis, unde librarii errore effictum est regitis. Sententia est: *qua vos fortuna igitur eritis, si* etc. cf. Cic. ad Brut. Ep. 1, sub fin.: Clodium tibi amicissimum existima civemque talem, qualis et prudentissimus et fortuna optima esse debet. Deinde de loco particulae igitur vide recte et copiose disputantem Hand. Vol. III, p. 197. Longe maior totius sententiae perturbatio obvia est in sequentibus, quae in omnibus libris mss. tam putide sunt exarata, ut non sine taedio quodam ab homine critico pertractari queant. Reperiuntur enim in iis haec: si hunc statum, quem habetis, esse non ignoravi, an quaesitum, sed vita partum otium tenueritis, eaque firmat Ascensiana; sequentes demum editores, corrupto ignoravi inducti, et meliorem adiecerunt et ex ignoravi perversum illud ignoratis refinxerunt. At cui bono? quem sensum inde elicuerunt ullo modo tolerabilem? Emendandi viam sola aperit quae praecedit sententia: qui propter desidiam in otio vivunt et q. s. Hinc enim satis est perspicuum, ignoravi an corruptum esse ex ignavia; deinde pro vita scriptum fuisse verisimile est ūtē, h. e. virtute; denique tenueritis hoc loco accipiendum esse pro intellexeritis, quis est qui non videat? Quae si vera sunt, orator optime sic erit in integrum restitutus: qua vos fortuna igitur eritis, si hunc statum, quem habetis, esse non ignavia quaesitum, sed virtute partum otium tenueritis?

Sed ut finem tandem huic labori imponamus, iam de sequentibus ut apto sensu prorsus destitutis paucis tantummodo verbis disserendum est. Vulgatam pessime corruptam habemus hanc: Quod ego et concordia, quam mihi constitui cum collega, invitissimis iis hominibus, quos in consulatu inimicos esse et animis et corporis actibus providi: omnibus prospexi sane et revocavi. Idem tribunis plebis denuntiavi, ne quid turbulenti me consule conflarent. Quae quibus ex codicum vestigiis sit profecta, optime sane apparebit, si vestigia ipsa in examen vocaveris. Exhibet Erfurt.: invictissimis iis hominibus quos vos in consulatu inimico esse et corporis actibus providi. Similia fere praebent codd. Oxonn., nisi quod pro consulatu exhibent consu, vel cōs. vel cons. In his ortum esse vitium quos vos ex litteris male disiunctis q uos sine ulla concedendum est dubitatione. Reliqua prorsus insipida sunt et perversa. Nam neque vv. in consulatu pro vera lectione accipi possunt, quia Ciceronis adversarii non solum in consulatu, verum etiam ante cons. et post consulatum eum summo odio vexasse putandi sunt, et sequentia summae depravationis signa prae se ferunt omnia. Adversarii igitur illi quum ipsi consuli essent inimicissimi, id ipsum nostro loco non potest non esse significatum. Natum autem vitium in cons. est ex pessime perspectis compendiis ᵐ cōs. aīo, unde primum in consulato, deinde correctione in consulatu locum obtinuit, quum tamen vera sit lectio mihi consuli animo. In sequentibus expuncto editorum additamento et animis, quod propter sequens et corporis insertum est, corporis illi actus totius loci, quippe non intellecti, perturbationem videntur excitasse. Tenendum autem est, oratorem, quum in foro ad Quirites orationem suam habeat, in audientium numero etiam adversarios suos conspicere. Itaque istos hoc nostro loco quasi descripsisse videri debet, et ita descripsisse, ut eos corporis sui motibus

et manuum capitisque iactatione summas suas inimicitias oratori satis manifeste ostendere palam fecerit. Id ipsum autem illi fecerunt corporis actionibus; nam actionem ipse Cicero quasi sermonem corporis appellavit de Orat. III, c. 69 §. 222. Cf. etiam Quintil. lib. XI, cap. 3. p. 383 Spald. Quae quum ita sint, non equidem dubito actibus compendio scriptum fuisse contendere pro actionibus, plane uti in Orat. pro Balbo Gudianus noster auctis vel aucte scripsit pro auctoritatis vel auctoritate; cf. cap. 1, §. 1. cap. IV, §. 10. Quibus si addideris, lectionem providi propter sequens prospexi depravatam esse ex probe vidi, profecto nihil iam est, cur in his genuinam Ciceronis manum nolis agnoscere; etenim scripsit: quos mihi consuli animo inimico esse ex corporis actionibus probe vidi; sententia est: Quod ego (otium) et concordia — omnibus prospexi sane, diese Ruhe habe ich allerdings auch bei der Vereinbarung mit meinem Collegen (Antonius) — für Alle im Auge gehabt. De structura verborum quod-omnibus prospexi non est, quod lectores nostros doceam. Reliqua mutata interpunctione persanavimus. Quibus expeditis depravatissimam hanc capitis nostri partem ex solis codd. vestigiis restitutam, tamquam novae editionis specimen, sic excudi iubemus:

Non modo vos eritis in otio, qui semper esse volueritis, verum etiam istos, quibus otiosi otium fecissemus, aeque otiosos reddam. Etenim illi sibi honores, potestates, divitias ex tumultu atque ex dissensionibus civium comparare solent: vos, quorum gratia in suffragiis consistit, libertas in legibus, honos in iudiciis et aequitatis magno studio, res familiares in pace, omni ratione otium tenere debetis. Nam et ii, qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in turpi sua inertia capiunt voluptatem ex ipso otio; qua vos fortuna igitur eritis, si hunc statum, quem habetis, esse non ignavia quaesitum, sed virtute partum otium tenueritis? Quod ego et concordia, quam mihi constitui cum collega invitissimis iis hominibus, quos mihi consuli animo inimico esse ex corporis actionibus probe vidi, omnibus prospexi sane, revocavi idem tribunis plebis, denuntiavi, ne quid turbulenti me consule conflarent.

Unum iam addiderim, me, si v. prospicere omisso dativo ea usurpari posset significatione, quam supra in eo inesse voluimus, v. omnibus sine ulla haesitatione cum v. actionibus fuisse coniuncturum. Videant periti.

Disputavimus autem haec omnia, ut appareret, quae leges in exercenda arte critica imprimis esse sequendae viderentur. Ac prima quidem debet ea esse, ut nos in operibus veterum scriptorum in integrum restituendis, vulgata scriptura, qualis in vetustissimis exstat editionibus, prorsus posthabita, solos codices mss., qui aetatem tulerunt, recte consultos typis demum describi iubeamus. Quibus si consenserit vulgata, ex libris mss. eam fluxisse statuamus necesse est; si non convenerit, sola veterum editorum commenta nos deprehendere pro explorato est habendum; nam quod dicunt, iis locis, qui codd. auctoritate non confirmentur, vulgatam ex deperditis libris videri profectam esse, id quidem ne flocci quidem faciendum est. Cui legi altera deinceps adiungenda est, ut codicum et aetatis et praestantiae ratione habita in scriptùris dubiis nos iis ubique obtemperemus libris, quos summa cura et diligentia examinatos proxime ad ipsius scriptoris manum accedere cognoverimus. Cuius quidem rei plurima ex oratione nostra pro L. Corn. Balbo habita infra afferemus exempla, quippe quam ex optimo cod. Gudiano, cum Erfurtensi ubique fere consentiente, recte demum restituere potuerimus. Quum autem ne praestantissimi quidem libri prorsus omnium expertes sint vitiorum, tertia necesse est tamquam lex accedat eaque omnium, si quid video, gravissima, ut, quae a scriptore aliquo dicta vel scripta esse dicantur, ea ne repugnent neque iustae rationi neque artis grammaticae legibus ac praeceptis, denique ut ea planissime iis respondeant, quae scriptorem revera dicere voluisse certissimis effici cogique possit argumentis.

Hic igitur tamquam campus est, in quo viri critici virtus et ingenium laete possit excurrere; at vero in eodem campo simul summa adhibenda cautio est, ne lusum tantum ingenii admittamus, quum de multis scriptorum locis multa speciosius quam verius disputari posse satis inter omnes constet. Quae quorsum nos pertinere velimus, ut appareat, hic quoque pauca ex antiquis scriptoribus proponenda videntur esse exempla.

Ac primum quidem ad hanc nostram sententiam confirmandam, quam sic proposuimus, ut ubique emendationibus veteres scriptores esse sanandos diceremus, si scripserint, quae scribere eos non potuisse ex tota verborum compositione et sensu dilucide compareat, insignem ex Virgilio poeta adscribamus locum. Posteaquam ille Aeneid. lib. III, v. 570 sqq. in Siciliam venisse Aeneam cecinit, montem Aetnam descriptione una omnium pulcherrima ita ob oculos fere posuit legentibus, ut ipsum quasi cernere montem eumque audire tonantem nobis videamur. Sunt autem haec:

> Portus ab accessu ventorum immotus et ingens
> Ipse; sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis
> Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
> Turbine fumantem piceo et candente favilla,
> Attollitque globos flammarum et sidera lambit;
> Interdum scopulos avulsaque viscera montis
> Erigit eructans liquefactaque saxa sub auras
> Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuat imo.

Quibus expositis caussam etiam additurus, cur tandem mons ille tot ac tantos flammarum globos in coelum attollat, pergit sic:

> Fama est, Enceladi semiusti fulmine corpus
> Urgueri mole hac ingentemque insuper Aetnam
> Impositam ruptis flammam exspirare caminis;
> Et, fessum quotiens mutet latus, intremere omnem
> Murmure Trinacriam, et coelum subtexere fumo.

Quid? num poetam post vividam illam montis interdum scopulos et avulsa viscera eructantis descriptionem tam ieiune idem adsuere voluisse putabimus, montem flammam caminis exspirare? deinde si Enceladum semiusto corpore sub Aetna monte iacentem id efficere dixerit, ut, quotiens fessum ille mutet latus, tota subito intremat Sicilia, tunc Virgilium totam loci structuram sic quasi interrumpere voluisse arbitrabere, ut inter vv. Enceladum urgueri et quotiens mutet Aetnam tamquam novum quod dicunt subiectum intruderet, nimirum quid tandem effecturus? ut tam misere montem flammas evomentem denuo depingeret eamdemque rem tam pueriliter recoqueret? Denique quid verba mole hac sibi velint, nemodum satis explicavit; at num aliud significare quidquam possunt, quam montem Aetnam? Balbutiret igitur poeta, si revera addidisset ingentemque insuper Aetnam impositam. At vero talia non imputanda sunt Virgilio poetae; itaque, licet nullus addicat nobis liber manu exaratus, tamen, quum haec omnia correctoribus debeantur, vel contra librorum mss. auctoritatem sola coniectura sunt reconcinnanda. Scimus autem, Virgilium pro corpore etiam usum esse v. mole; cf. lib. XII, v. 161: Interea reges, ingenti *mole* Latinus Quadriiugo vehitur curru. Idem nostro loco fecisse putandus est; ne diutius teneam, poeta scripsit:

> Fama est, Enceladi semiusti fulmine corpus
> Urgueri molem hic, ingentique insuper Aetna
> Imposita ruptis flammam exspirare caminis,
> Et fessum quotiens mutet latus, intremere omnem
> Trinacriam.

Loci autem depravatio unde orta sit, non est, quod uberius exponam; fluxit enim iam antiquissimo tempore ex pessime intellectis vv. molē h, unde mole hac factum est.

Similem alterius loci corruptionem, quam praeposterae debemus librariorum diligentiae, deprehendimus apud eumdem Virgil. Aeneid. lib. II, v. 179 sqq. Ibi enim Sinon ille, qua fuit astutia et callididate, spem omnem narrat Graecorum in Palladis semper stetisse auxilio; sed post Palladium a Diomede et Ulixe templo suo impie avulsum aversam fuisse deae mentem et eius irae haud dubia a Palladio ipso in castris posito edita esse signa; nam

Vix positum castris simulacrum: arsere coruscae
Luminibus flammae arrectis, salsusque per artus
Sudor iit terque ipsa solo, mirabile dictu!
Emicuit parmamque ferens hastamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit aequora Calchas,
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum avexere carinis.
Et nunc, quod patrias et q. s.

In his autem verba numenque reducant, quod-avexere carinis summam excitant difficultatem; nam si vera est vulgaris illa opinio, quam olim Heynius proposuit quamque postea plerique omnes sunt sequuti editores, numen de simulacro Palladis esse intelligendum, profecto vix ac ne vix quidem perspicias, qui fieri potuerit, ut Calchas, qui ex certissimis illis Palladii signis concluderet, non posse Troiam a Graecis expugnari nisi auspiciis Argis instauratis, hic de avecto iam Palladio loqueretur; nam tenendum est, Calchantem post illa signa extemplo edidisse Graecis vaticinium suum. Hanc igitur difficultatem, quam nulla disputandi subtilitate facile expediveris, solus vidit J. H. Vossius, cuius explicationem, qua totum locum intelligi ille voluit, Weickertus, quem nostro loco (cf. Virg. Op. Vol. II, p. 183 sqq.) laudavit Forbigerus, attulit hanc: Sie sollen — — die zu Argos angestellten Auspicien an Ort und Stelle noch einmal vornehmen und den *Willen der Gottheit* von neuem herbeiholen, ihre Entscheidung von neuem erforschen, mit welcher sie ausgeschifft sind. *Omina* und *numen* entsprechen sich, so wie letzteres in dem folgenden Verse seine Erklärung findet. Habet ista quidem interpretatio id certe laudis, quod numen non de simulacro esse accipiendum docuit; in reliquis autem, id quod recte iam persensit Forbigerus, a veritate plurimum recedit; nam neque Palladis voluntatem recte navibus posse reduci, neque avexere iam locum suum posse obtinere pro advexere in propatulo est. Denique ut iis, qui haec legent, omnem difficultatem supra iam verbo monitam planissime ob oculos ponamus, Forbigeri verba hic adscribenda videntur omnia: Quomodo enim, inquit, Calchas de Palladio *vix castris posito,* statim post prodigia ab eo edita tamquam de navibus iam avecto et reducendo potest loqui? Quamvis enim dicas, Sinonem respicere posterius tempus, quo vere iam universi Graeci a littore Troiano solvissent, restant tamen Calchantis verba *numenque reducant,* quae iam ablatum Palladium videntur ponere. Nemini autem Sinon persuadebit, statim post illa prodigia simulacrum navi impositum et avectum fuisse, Calchanta autem tum demum haec cecinisse. Haec tam manifesta perversitas locum profecto haberet nullum, si viri docti paullo accuratius ad totam Sinonis mentem voluissent attendere; etenim ille verba sua quod pelago et curvis secum avexere carinis non est loquutus post v. reducant, sed infra post vv. numine laeso. Totus igitur locus sic se habet:

Et nunc quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso

Improvisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso,
Quod pelago et curvis secum avexere carinis,
Effigiem statuere, nefas quae triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis coeloque educere iussit,
Ne recipi portis aut duci in moenia possit
Neu populum antiqua sub religione tueri.

Haec igitur emendatio nostra licet nullius codicis confirmetur auctoritate, tamen tanta prae se fert veritatis signa, ut sine ulla dubitatione in verborum seriem recipienda esse videatur. Soli autem librarii sunt vel maxime incusandi, qui, quum vv. numenque reducant non intelligerent, versum nostrum suo loco demotum sedem occupare falsissimam iusserint; etenim post reducant requiri necessario avecti simulacri mentionem putabant. Quae si recte reputaveris, etiam vv. numenque red. iustam suam reperiunt explicationem; nam ea neque de Palladio neque cum J. Henrico Vossio de deae voluntate tamquam Argis Troiam reducenda intelligenda sunt, sed de ipsa Pallade, et ita quidem, ut, quum deae mens semel aversa sit, Graeci eam sibi Argis reconciliare novis sacris Palladi offerendis a Calchante iubeantur. Numen igitur deae ipsius, quae post impium illud Diomedis et Ulixis facinus quasi effugisse ac Graecos deseruisse cogitanda est, sibimet ipsis reducere Graecos necesse est; ita enim *digerit omina Calchas.* Quod quidem optime firmatur verbis, quae paullo post Sinon addit, Graecos nunc avectos mox improvisos cum armis cumque diis (et in his etiam cum Pallade) esse adfuturos; at vero illi quum Palladium necessitate coacti semel rapuissent, quippe videntes, Troiam, si simulacrum illud in urbe remaneret, numquam expugnatum iri, illud quidem eos, quum in urbem ipsam reducere non potuissent, nunc curvis carinis secum avexisse; sed eosdem a Calchante monitos pro Palladio secum abducto equi effigiem statuisse,

nefas quae triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem et q. s.

Sed haec hactenus; res loquitur ipsa.

Simili ratione etiam apud Homerum Iliad. V, v. 499 sqq. mendum vetustissimum certissime indagabimus, si primum quid poeta scripserit, deinde quid scribere aut voluerit aut etiam debuerit, recte quaesiverimus. Scripsit autem haec:

Ὡς δ' ἄνεμος ἄχνας φορέει ἱερὰς κατ' ἀλωάς,
ἀνδρῶν λικμώντων, ὅτε τε ξανθὴ Δημήτηρ
κρίνῃ, ἐπειγομένων ἀνέμων, καρπόν τε καὶ ἄχνας.
αἱ δ' ὑπολευκαίνονται ἀχυρμιαί· ὡς τότ' Ἀχαιοὶ
λευκοὶ ὕπερθε γένοντο κονισάλῳ, ὅν ῥα δι' αὐτῶν
οὐρανὸν ἐς πολύχαλκον ἐπέπληγον πόδες ἵππων
ἂψ ἐπιμισγομένων.

Quum autem in comparationibus instituendis nemo sit omnium poetarum Homero doctior ac felicior, quippe qui lectoribus suis rem minus notam minusve pellucidam rebus ex quotidiana vita petitis tam perspicuam reddat, ut suis ipsorum oculis eam aut suis prehendere manibus sibi videantur, profecto nostro loco Achaeos, quos albo pulvere plane tectos ostensurus est, comparare recte demum potest non cum pulveris illis acervis, qui in horreis nostris, in quibus grana iaciuntur, coacervari solent, sed cum ipsis illis viris, qui, dum grana iaciunt, paullatim albo ita obteguntur pulvere, ut a circumstantibus iam non possint dignosci. Ne multa, poeta scripsit: *οἱ δ' ὑπολευκαίνονται ἀχυρμιῇ·* scriptum fuit olim litteris maiusculis ΑΧΥΡΜΙΗΙ, h. s. pulveres palae; inde factum *αἱ δ' ὑπολ. ἀχυρμιαί,* quum litterae H et A essent permutatae.

Neque dici satis potest, quoties in vetustis libris decribendis singulae voces aut aliarum vocum, quae antecederent, aut ipsius structurae similitudine a librariis sint depravatae; neque postea, licet summae hic illic ex eiusmodi vitiis sint enatae difficultates, viri docti eas emendando tollere voluerunt, quum satius esse existimarent iis succurrisse interpretandi ratione quantumvis impeditissima. Cuius quidem rei exemplum unum omnium luculentissimum verba illa suppeditant apud Sophoclem in Oed. Tyr. v. 22 sqq.

πόλις γὰρ, ὥςπερ κἀυτός εἰςορᾷς, ἄγαν
ἤδη σαλεύει κἀνακουφίσαι κάρα
βυθῶν ἔτ' οὐχ οἵα τε φοινίου σάλου,
φθίνουσα μὲν κάλυξιν ἐγκάρποις χθονός,
φθίνουσα δ' ἀγέλαις βουνόμοις, τόκοισί τε
ἀγόνοις γυναικῶν·

Hic igitur interpretes omnes sensum verborum *φθ. ἀγέλαις βουνόμοις* optime docere sibi videntur afferenda duplici illa v. *βουνομος* significatione, quam accentus diversitate effici satis tenent ad unum omnes. At quid tandem inde proficimus? Nam si *βούνομος* recte significat campum a bobus depastum, num tu inde elicies g r e g e m c a m p u m d e p a s c e n t e m, id quod manifeste efflagitaret sententia Sophoclea? Aut si *βουνόμος* recte demum pastorem describit p e c o r a p a s c e n t e m, tune nostro loco inde effici posse dices g r e g e s a p a s t o r e i n p a s t u m a c t o s? Quidquid fueris amplexus, nostro loco neque *ἀγέλην βούνομον* neque *βουνόμον* ullo modo dici posse in propatulo videri debet. Intruserunt autem *βουνόμοις* librarii propter dativos *κάλυξιν ἐγκάρποις* et *τόκοισιν ἀγόνοις,* quum tamen genitivi illi *χθονός* et *γυναικῶν* satis doceant, a poeta fuisse scriptum *βουνόμων,* h. e. p a s t o r u m g r e g e s p a s c e n t i u m.

Sed tamen apud Sophoclem nimiam horum et similium locorum copiam, in quibus certa insunt depravationis vestigia, frustra quaesiveris; sunt enim huius poetae tragoediae a viris doctis tanta diligentia tantoque mentis acumine iam dudum pertractatae ac perpolitae, ut, si a locis in codd. ipsis corrupte scriptis recesseris, soli emendandi necessitati non ita magnum spatium sit relictum. Nam quae editores hodie hic illic addubitare tantum solent, ea magis proferunt, ut ingenii sui sollertiam ostendant ac sagacitatem, quam ut poetam vere emendent ac reficiant; aperta autem illa vitia, quale est, quod supra attigimus, vel propterea non ita multa inveniuntur, quod, quae a vulgari sermone nimis recedere videantur, ea poeticae plerumque licentiae sunt adnumeranda. Multo difficilior res est, si Thucydidis opera in examen vocantur; etenim apud eum plurima sane vitiose dicta vel scripta apparent, quae ne acriore emendandi calamo persequamur, etiam atque etiam circumspiciendum est ac sedulo çavendum. Ut ex sexcentis paucissima afferamus, quid vitiosius dici potest, quam quod ille scripsit lib. VI, c. 35 sic: *Τῶν δὲ Συρακοσίων ὁ δῆμος ἐν πολλῇ πρὸς ἀλλήλους ἔριδι ἦσαν, οἱ μὲν ὡς οὐδενὶ ἂν τρόπῳ ἔλθοιεν οἱ Ἀθηναῖοι, τοῖς δὲ, εἰ καὶ ἔλθοιεν, τί δράσειαν αὐτούς; κ. τ. λ.* et tamen cave, ne restituas *οἱ δὲ,* quum animo sit supplendum *ἐδόκει.* Addo alterum, quod infra c. 37 legitur sic: *μέγα γὰρ τὸ καὶ αὐταῖς ταῖς ναυσὶ κούφαις τοσοῦτον πλοῦν δεῦρο κομισθῆναι, τήν τε ἄλλην παρασκευὴν, ὅσην δεῖ, ἐπὶ πόλιν τοσήνδε πορισθῆναι, οὐκ ὀλίγην οὖσαν.* Quibus quid significare voluerit Thucydides, editorum nemodum satis explicavit. Sunt enim, qui sic iungi oportere verba credant (cf. Goell. Vol. II, p. 161): *μέγα γὰρ τήν τε ἄλλην παρασκευὴν, ὅσην δεῖ, ἐπὶ πόλιν τοσήνδε πορισθῆναι, οὐκ ὀλίγην οὖσαν, καὶ τὸ αὐταῖς* (v e l c u m s o l i s) *ναυσὶ κούφαις τοσοῦτον πλοῦν δεῦρο κομισθῆναι.* At quis credat, Thucydidem tam insulse verba invertere voluisse, praesertim quum ordinem ab eo servatum recte sic fere procedere luce clarius sit: s c h w e r i s t's, m i t u n b e p a c k t e n S c h i f f e n a n h e r z u k o m m e n, a l s o s c h w e r e r n o c h m i t e i n e m s o b e d e u t e n d e n M a t e r i a l etc. Alii verba *μέγα — κομισθῆναι* in parenthesi posita esse statuerunt (cf. Goell. l. l.), accusativum illum *τήν τε ἄλλην π.* a. v.

ἐπίσταμαι aptum esse rati; at tum, id quod recte iam vidit Goellerus, pro *τήν τε* necessario requireretur *οὔτε τὴν ἄλλην.* Denique, ut reliqua virorum doctorum commenta mittam, satis ingeniose quidem Kruegerus animo supplendum esse censet ad v. *παρασκευὴν* verbum antecedens *κομισθῆναι* sic: h i e r i n p a s s i v e r B e d e u t u n g: *es ist gross,* schwer, *dass sie transportirt werde.* Ego vero quamquam mihi tantum non arrogo, ut me viro illo melius verba Thucydidea posse interpretari putem, tamen hoc certe loco sententiam eius non videri probabilem fateor, quia, si vera esset, intelligi nullo modo posset, cur scriptor activam illam vim aoristi *κομισθῆναι* subito in passivam eamque sola cogitatione conceptam mutare voluerit. Quae quantumvis sint difficillima omnia, tamen haec tam contorta scriptoris verba non emendatione esse sananda, sed interpretatione illustranda certissimum est. Ac primum quidem tenendum est, Athenagoram illum, quem hoc loco loquentem introducit Thucydides, hoc significare voluisse, opes Atheniensium, quippe qui res omnes ad bellum gerendum necessarias s o l i s n a v i b u s in Siciliam asportare coacti essent, non posse tantas esse, ut cum Syracusanis ullo modo compararentur; dixit enim supra *ἐπὶ νεῶν γε ἐλθόντας.* His igitur explicandi caussa adiungit verba, de quibus hic sermo est. Unde perspicuum, vv. *τήν τε ἄλλην π.* arcte coniungi quidem oportere cum vv. *τοσοῦτον πλοῦν,* sed non ita ut *ὁ πλοῦς* significet solam n a v i g a t i o n e m, contra *ἡ παρασκευή* b e l l i t a m q u a m m a t e r i a m; immo *ἡ π.* nos cogit, ut in v. *πλοῦν* non a c t i o n e m n a v i g a n d i, sed *τοὺς πλέοντας αὐτούς* inesse statuamus, h. e. *τοὺς ὁπλίτας — ἐπὶ νεῶν γε ἐλθόντας,* plane uti nos dicimus: d e r Z u g i s t u n t e r n o m m e n e t d e r g a n z e z e h n t e Z u g, d i e Z i e h e n d e n s i n d n i e d e r g e h a u e n w o r d e n; cf. etiam Sophocl. Aiax, v. 1045: *τίς δ' ἐστιν, ὅντιν' ἄνδρα προσλεύσσεις στρατοῦ; Μενέλαος, ᾧ δὴ τόνδε πλοῦν ἐστείλαμεν.* Quae verba tametsi recte nos interpretamur sic: *cuius gratia nos hanc navigationem suscepimus,* tamen ea si ad vivum velis resecare, nihil aliud significant nisi *hosce navigantes huc misimus.* Itaque si *κούφαις* de navibus acceperis f r a g i l i b u s tantum ac p e r e x i g u i s, neque eas ut ad dimicandum instructas opponi contenderis o n e r a r i i s, sententiam habebis hanc: d e n n e s i s t e i n e s c h w i e r i g e S a c h e, v e r m i t t e l s t d e r l e i c h t e n S c h i f f e a l l e i n e i n e n s o g r o s s e n S e e z u g u n d z u g l e i c h d i e ü b r i g e A u s r ü s t u n g, d i e d o c h n o t h w e n d i g e r w e i s e g e g e n e i n e s o b e d e u t e n d e S t a d t, w i e d i e u n s r i g e i s t, n i c h t g e r i n g s e i n k a n n, a n h e r z u s c h a f f e n. In his igitur et sexcentis aliis manu non est opus emendatrice. Quae quum ita sint, nos Thucydidem sane arte sua historica omni laude esse maiorem facile çoncedamus; at vero, si de scribendi genere iudicium faciendum est, eadem in laude ille minime est ponendus; est enim eius oratio tam dura, tam horrida, tam obsoleta et obscura, ut iure iis assentiamur, qui iam dudum eam summis exagitaverunt reprehensionibus; neque ullo modo ii sunt audiendi, qui, quantumvis ille obscurus sit ac perdifficilis, tamen eum ut accuratum et concinnum defendere soleant scriptorem.

Ex quibus igitur quum satis appareat, in Thucydidis vetusta illa oratione campum aperiri unum omnium latissimum, in quo editor nescio quis virtutem interpretandi suam optime possit ostendere, tamen, quum hac ratione vel ineptissima quaeque pro veris facile sane vendi possint, sedulo cavendum est, ne eos quoque locos, quibus vulgata aliqua lectio scriptoris menti atque consilio ita repugnet, ut, nisi insipientem eum esse velimus, ab eo profecta esse videri non debeat, sola interpretandi ratione esse sanandos statuamus. Immo in iis non interpretatio locum habet, sed emendatio. Quod quo clarius perspiciatur, hunc affero Thucydidis locum, quem lib VI, c. 31 hodie sic scriptum legimus: *Παρασκευὴ γὰρ αὕτη πρώτη ἐκπλεύσασα μιᾶς πόλεως δυνάμει Ἑλληνικῇ πολυτελεστάτη δὴ καὶ ἐκπρεπεστάτη τῶν ἐς ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐγένετο.* In his quidem iam dudum viros doctos propter grammaticam loci rationem vehementer offendisse video, quum *αὕτη πρώτη* articulo omisso dici non posse arbitrarentur; sed in hac re non ita multum inesse difficultatis facile nobis dabunt ii, qui, quam sit negligens in ponendo articulo Thucydides, satis norunt.

Plurimum autem offensionis tota satis aperte praebet enuntiatio, id quod rectissime perspexit Kruegerus sic: *πρώτη — Ἑλληνικῇ* nimmt Ps. zusammen: *die zuerst aus Einem Staate mit einer griechischen Macht auszog.* Besser St.: *sie zuerst von allen bis auf diese Zeit zog aus Einer Stadt mit einer griechischen Macht am kostspieligsten und prächtigsten gerüstet aus.* Doch bleibt *πρώτη* anstössig. Ich vermuthe *πολυτελεστάτη* und *ἐκπρεπεστάτη* und verbinde *τῶν* mit *πρώτη*: *sie wurde,* zeigte sich, insofern sie *mit der kostspieligsten und prächtigsten Hellenenmacht Eines Staates ausgezogen als die erste unter allen, die bis zu dieser Zeit aufgestellt worden.* Denn z. B. bei Salamis waren die Geschwader vieler Staaten vereinigt gewesen. Quae tametsi ingeniose, ut solet, vir doctus exposuit, tamen vereor, ut summam loci difficultatem recte removerit; nam verba, quae ultimo loco memoravit, ad Salamina multarum civitatium classes fuisse congregatas, satis indicant, eum adiectivum *πρώτη*, quamquam hanc ei vim subiiciat *die vorzüglichste,* tamen ita simul accipere, ut Atheniensium classem etiam numero primam fuisse declaret. Et tamen id ipsum ferri nullo modo potest. Nam quum infra scriptor expeditiones illas Atheniensium duce Pericle contra Epidaurios, alteram duce Hagnone contra Potidaeenses factas non minores fuisse dixerit, quam nostram in Siciliam susceptam, quumque easdem illas *μιᾶς πόλεως δυνάμει ἑλληνικῇ* institutas esse certum sit, profecto Siciliensem primam fuisse, quae unius urbis unitis viribus esset comparata, scribere nullo modo potuit. In his igitur vitium inest certissimum idque recte demum tolli coniectura potest. Ac facile sane pro *αὕτη* possis coniicere a Thucydide scriptum fuisse *οὐ δή*, quia, si *πρώτη* servare velimus, particula negativa opus est. Sed scriptoris sermo ita est comparatus, ut eum negativa structura totam enuntiationem componere voluisse vix ac ne vix quidem credi possit; immo hoc eum dicere velle veri est simillimum *τὴν παρασκευήν* fuisse *πολυτελεστάτην, τὸν δὲ τῶν νεῶν ἀριθμόν* non sane minorem. Vitium igitur sine ulla dubitatione in adiectivo *πρώτη* est quaerendum idque scribendi errore ortum esse videri debet. Nam quum supra Thucydides satis perspicue scripserit haec: *ὅμως δὲ τῇ παρούσῃ ῥώμῃ, διὰ τὸ πλῆθος ἑκάστων ὧν ἑώρων, τῇ ὄψει ἀνεθάρσουν*, dubitari prorsus nequit, quin nostro loco hanc proponere voluerit sententiam, praesentem illam expeditionem splendido suo apparatu omnium, quae usque ad hanc aetatem comparatae fuissent, praestantissimam fuisse, contra numero navium priores quoque non exstitisse minores. Itaque locum rescribo sic: *παρασκευῇ γὰρ αὕτη ἡ ῥώμη, ἐκπλεύσασα μιᾶς πόλεως δυνάμει ἑλληνικῇ, πολυτελεστάτη δὴ — ἐγένετο · ἀριθμῷ δὲ νεῶν — οὐκ ἐλάσσων ἦν.* Corruptelae ansam olim dedit littera H male sic scripta *Π*, unde *πρώμη* ortum, quod postea in *πρώτη* mutatum est.

Vides igitur, quam parvis saepe rebus et quam pusillis factum sit, ut veteres scriptores pessime corrumperentur et ita quidem, ut hodie menda illata ne dignosci quidem ubique recte possint. Nam si apud Ciceronem Tusc. Q. lib. I, c. 10, §. 21 haec legimus: Dicaearchus autem in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium primo libro multos loquentes facit, duobus Pherecratem quemdam Phthiotam senem, quem ait a Deucalione ortum, disserentem inducit, nihil esse omnino animum etc. mirari sane licet, ne novissimos quidem eosdemque doctissimos in iis ullo modo offendisse editores; nec tamen negabit, qui latine sapit, post verba loquentes facit addi non debuisse disserentem inducit. Deinde quid verba quem ait a D. ortum hic sibi velint, nemodum verbo monuit. Quid enim? num serio ea loqui Ciceronem putabimus, ut Dicaearchum re vera affirmasse dicat, a Deucalione ortum esse Pherecratem? An lepide irridentis ea esse dicemus? At in iis, uti nunc leguntur, ne aura quidem leporis ulla. Et tamen quum Pherecrates Phthiota, homunculus unus ex stirpe eorum, qui olim ex lapidibus orti feruntur, nihil esse omnino animum dixerit, profecto eam ipsam insulsitatem non sine ironia quadam nostris verbis

exagitari luce clarius est; cf. infra §. 24: Quid de Dicaearcho dicam, qui nihil omnino animum dicat esse? Ne multa, Pherecrates, *τῶν λαΐνων ἀνθρώπων* unus, propter insipidam illam de animo conceptam opinionem irridetur ipse, ut homo lapideus, h. e. stolidus, eamque irrisionem facile persentisces, si pro ait exstincto a litterae unco nobiscum reposueris: quem ut a Deucalione ortum disserentem inducit. Sed ne longius labamur, tandem his disquisitionibus imponi finem necesse est.

Exposuimus autem haec omnia paullo copiosius, ut ex exemplis illis undecumque allatis ratio appareret ac via, qua nos in recognoscenda oratione a M. Tullio Cicerone pro L. Cornelio Balbo habita usi sumus. Primum igitur omnium id egimus, ut ubique cod. Gudianum ut optimum sequeremur, nam plurimis ille locis ipsum Erfurtensem auctoritate superat, deinde ut posthabita vulgata ex illius codicis vestigiis, si ullo modo fieri posset, Ciceronis verba restituere conaremur, denique ut tum demum, si neque Gudianus neque Erfurtensis in locis conclamatis persanandis subsidii quidquam afferret, nos aut in vulgata acquiesceremus aut sola coniectura locos corruptos emendaremus. His igitur praemissis redeundum est ad primum orationis nostrae caput, quod ante hos tres fere annos paullo accuratius explanare studuimus.

Quo autem clarius ii, qui haec nostra legent, totius orationis initium perspiciant, id ipsum repetendum hic videtur, uti a nobis vulgata prorsus repudiata ex codd. vestigiis constitutum est sic: Si auctoritates patronorum in iudiciis valerent, ab amplissimis viris L. Cornelii caussa defensa esset: si usus, a peritissimis: si ingenia, ab eloquentissimis: si studia, ab amicissimis et quum beneficiis cum L. Cornelio tum maxima familiaritate coniunctis. Quae sunt igitur meae partes? auctoritatis tantae, quantam vos in me esse voluistis? usus mediocris? ingenii? Minime. Voluntati parens — nam ceteris, a quibus est defensus, hunc debere plurimum video: ego quantum ei, dicam alio loco: — principio orationis hoc propono, me omnibus, qui amici fuerunt saluti et dignitati meae, si minus referenda gratia satisfacere potuerim, at praedicanda et habenda certe satis esse facturum. In his igitur tantum non omnia codicum fulciuntur auctoritate, excepto uno loco, qui coniectura nititur nostra; nam pro librorum scriptura ego quantum ei debeam reposuimus ei, dicam a. l., quippe sic ratiocinati, post vv. alio loco ellipsin verbi certissime respui Ciceronis dicendi genere, post *quantum ego ei* non item; deinde vulgatam debeam ex anced. v. debere errore monachi ortam esse statuimus. Neque ego in hoc emendationis genere viros doctos non habeo assentientes; sed tamen accurate videndum est, ne quis id genus nimis late patere existimet; nam quum amanuenses inter scribendum totum plerumque versum, quem descripturi erant, memoria complecterentur, fieri sane facillime potuit, ut lapsu memoriae ex antecedentibus similem aliquam vocem in sequentibus mutarent ac refingerent; at vero ex sequentibus nondum lectis idem esse factum non est credibile, nisi si corruptae voculae similem alteram eamque a monacho memoria iam comprehensam e vestigio sequi statueris. Quod ut exemplo illustremus, apud Thucydidem lib. VI, c. 23 in oratione Niciae mendosum videtur verbum *ἐκπλεῦσαι* tum propter antecedens *ἐκπλεῖν*, tum quod Valla id verbum interpretatus non est. Sunt autem verba haec: *Ὅπερ ἐγὼ φοβούμενος καὶ εἰδὼς πολλὰ μὲν ἡμᾶς δέον εὖ βουλεύσασθαι, ἔτι δὲ πλείω εὐτυχῆσαι, χαλεπὸν δὲ ἀνθρώπους ὄντας, ὅτι ἐλάχιστα τῇ τύχῃ παραδοὺς ἐμαυτὸν βούλομαι ἐκπλεῖν, παρασκευῇ δὲ ἀπὸ τῶν εἰκότων ἀσφαλὴς ἐκπλεῦσαι. Ταῦτα γὰρ τῇ τε ξυμπάσῃ πόλει βεβαιότατα ἡγοῦμαι καὶ ἡμῖν τοῖς στρατευσομένοις σωτήρια.* Kruegerus igitur, vir doctissimus, adduci sese passus est caussis supra allatis, ut eam vocem *ἐκπλεῦσαι* ab interpolatore aliquo ex sequentis cap. initio insertam esse suspicaretur. At vero neque librarius illud verbum ex seqq. inter scribendum repetere potuit, neque interpolator quicquam caussae habuisse dicendus est, cur ex seqq. *ἐκπλεῦσαι*, ac non ex proxime antecedd. *ἐκπλεῖν* insereret; immo si revera post *ἀσφαλής*

verbum deesse ille sibi persuaderet, tamen nihil erat, cur turbata modorum ratione totum locum pessime corrumperet. Quae quum ita sint, certe, si quid inest in hoc loco corruptelae, pro *ἐκπλεῖσαι* sine dubio *ἐκπλεύσας* et pro *γάρ* rescribendum est *γ' ἄν;* totus igitur locus sic legendus: *παρασκευῇ δὲ ἀπὸ τῶν εἰκότων ἀσφαλής. Ἐκπλεύσας ταῦτα γ' ἂν τῇ τε ξυμπάσῃ πόλει βεβαιότατα ἡγοῦμαι κ. τ. λ.*, h. e. si navigavero, illa profecto et toti urbi et nobis hinc profecturis videri debent salutaria. De participio Aor. *ἐκπλεύσας* cf. Thucyd. ibid. c. 21: *γνόντας ὅτι πολύ τε ἀπὸ τῆς ἡμετέρας αὐτῶν μέλλομεν πλεῖν καὶ οὐκ ἐν τῷ ὁμοίῳ στρατευσάμενοι καὶ εἰ ἐν τοῖς τῇδε ὑπηκόοις ξύμμαχοι ἤλθετε ἐπί τινα, ὅθεν ῥᾴδιαι αἱ κομιδαὶ ἐκ τῆς φιλίας ὧν προςέδει, ἀλλ' ἐς ἀλλοτρίαν ἀπαρτίσαντες κ. τ. λ.*, ad quem locum recte haec adnotavit Hermannus ad Viger. p. 774: Apparet recte hic aoristorum participia posita esse, ut in quibus hoc verborum nexu futuri exacti significatio insit. Vidit hoc Abreschius p. 587. Deinde more solito Thucydides pro *ταῦτα γ' ἂν γένοιτο* dixit *ἡγοῦμαι ταῦτα γ' ἂν βεβαιότατα γενήσεσθαι* vel etiam *γενόμενα;* cf. Thuc. lib. II, c. 80: *ἀφικνοῦνται—νομίζοντες, εἰ ταύτην πρώτην λάβοιεν, ῥαδίως ἂν σφίσι τἄλλα προσχωρήσειν;* deinde vide Thuc. VI, c. 38: *καὶ ἐνθένδε ἄνδρες οὔτε ὄντα οὔτε ἂν γενόμενα λογοποιοῦσι.* Infinitivum autem illum, vel etiam participium omissum esse in verborum coniunctione *ἡγοῦμαι βεβαιότατα ἄν* non est quod miremur. Sed haec hactenus; ad adnotationes ipsas progrediendum est.

Pro Balb. c. 1 §. 2: Quae fuerit hesterno die Cn. Pompeii gravitas in dicendo, iudices, quae facultas, quae copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur. Quorum verborum quae sit vis ac ratio, nemodum editorum exposuit; nam iure mirere, quid sit, quod post decl. videbatur orator fuerit nobis dederit pro esset. Nec proficimus quidquam, si non insolita inversione eum decl. vid. pro declaratum esse videtur hic posuisse contendimus; antecedunt enim vv. hesterno die, unde perspicuum, tum quoque ex solita Ciceronis loquendi consuetudine non posse non sequi esset pro fuerit. Neque tamen in hoc ullo modo haerendum. Alia est loci sententia, ubi esset, alia ubi fuerit scripseris. Illud significat, iudices ipsos perpetua sua admiratione patefecisse, quid de Pompeii eloquentia iudicarent quantive eam facerent. At id quidem orator dicturus non est; immo iudicum illa admiratione utitur tamquam testimonio, quo doceat audientes, quae fuerit Pompeii in dicendo gravitas; suum igitur ipsius, non iudicum proponit iudicium. Neque in interrogationibus indirectis eiusmodi enuntiationes, quibus post *impfctum* sequitur subiunctivus *perfecti* pro insolitis sunt accipiendae et inusitatis; immo iustae sunt ac legitimae; cf. pro Sest. c. 57, §. 122: Quae tum significatio *fuerit* omnium, quae declaratio voluntatis ab universo populo Romano in caussa hominis non popularis, equidem *audiebam:* existimare facilius possunt, qui adfuerunt, h. e. quae-fuerit, *testimonio ego quidem* affirmo eorum, quos de ea re loquentes audiebam. Quare non audiendus est Car. Halmius, qui ibid. §. 117. Quo quidem tempore quid populus R. sentire se ostenderit, utroque in genere declaratum est; pro iusta codd. scriptura ostenderit male dedit *ostenderet;* nam *sent. se ost.* accipiendum pro senserit. Recte etiam Cicero pro Sext. Rosc. Am. 35, §. 99: Quid erat, quod Capitonem scire voluerit, quamquam ratio non plane eadem est ac praecedentium locorum; nam duo hic conglutinatae sunt interrogationes pro Quid erat? quid Capitonem scire voluit?, sed ita, ut item orator, quid ipse sentiat, sit dicturus, quum vellet Roscii Magni mentem exprimeret. Paullo difficilior ille quidem locus est, quem in Verr. I, c. 30 §. 75 sic legimus: quid C. Neronis — nonnullis in rebus animum nimis timidum (proferam) atque demissum? qui in illa re quid facere *potuerit,* non habebat, nisi forte, ut ageret eam rem sine Verre et Dolabella; sed simili ratione est explicandus. Ciceronem enim ubi hoc dicere voluisse ponimus, rei gerendae suae prorsus ignarum fuisse C. Neronem,

scribendum fuit: qui in illa re *quod* facere posset, non habebat, idque acerrime defendendum contra Wagneri argutias, discrimen aliquod contra Brunck. inter non habebam, quid sperarem et n. h., quod sperarem statuentis ad Virg. Buc. II, v. 2 sic: „Habeo quod dicitur de re, quae vere est; habeo quid de re, quae an sit aut qualis sit, incertum est; quod est dubitantis et rem animo volventis; Germanice hoc exprimas adiecta particula wohl, etwa, vielleicht. *Non habebam, quod sperarem,* i. e. nulla erat spes, ich hatte keine Hoffnung; *non habebam,* quid sp. i. e. nulla spes videbatur esse, nulla spes omnia circumspicienti mihi offerebatur, ich wusste nicht, was ich etwa hoffen sollte." Immo si nulla spes offertur, nulla profecto usquam apparet; quod igitur ille de addendis voculis wohl, etwa, vielleicht disputavit, id non ex ipsa latinitate deprompsit, sed de suo dedit. Loco igitur ex Verr. laudato pronomen quid documento est, oratorem voluisse hoc: etenim in illa re quid facere potuit? h. e. quid eum facere potuisse dicam? quid quaeso habebat, quod faceret, nisi forte etc. Utrumque autem coniunxit membrum sic, ut posteriore interrogatione omissa prioris tamen conformationem retinuerit, nimirum ut suum ipsius exprimeret iudicium. Quae interpretatio si cui nimis subtilis esse videatur, is cum Ernestio rescribat necesse est faceret aut facere posset. At vero tum, qua ratione locus in omnibus codd. tam misere corrumpi potuerit, ego quidem non assequor.

Ibid. c. 1, §. 2: Nihil enim umquam audivi, quod mihi de iure subtilius dici videretur, nihil memoria maiore de exemplis, nihil peritius de foederibus, nihil illustriore auctoritate de bellis, nihil de republica gravius, nihil de ipso modestius, nihil de caussa et crimine ornatius. Locum olim pessime corruptum sic: nihil de more maiorum, de exemplis acutius, nihil peritius etc. iam dudum ex codd. optime restituit Garatonius; est tamen, quod addam. Ciceronis loquendi consuetudo postulat: nihil quod memoria maiore de exemplis, nihil quod peritius et q. s. Exempla sunt ubique obvia. Est tamen ea minime tam firma, ut pro certa tamquam lege haberi queat; aliis enim locis vox, quae repetenda fuit, certa de caussa omittitur, veluti infra c. 6, §. 14: quod mediocres homines, quod nullo usu, (quod) nullo studio praediti, quod etc., aliis sine caussa; vide infra c. 19 §. 43: quantis ornamentis — affecerit, controversias sedarit, iura — statuerit pro quot vel quantas controvers. et q. s.; aliis denique, prout oratori visum est aut numero consentaneum aut sententiae, vox hic repetitur, illic relinquitur, veluti pro leg. Manil. c. 10, §. 28: *qui* — profectus est? *qui* miles fuit summi imperatoris, ineunte adolescentia ipse imperator? *qui* saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit? plura bella gessit, quam ceteri legerunt? plures provincias confecit, quam alii concupiverunt? *cuius* et q. s. Quae quum ita sint, per se nihil sane est, quod in Garatonii emendatione sit reprehendendum. Sed tamen exagitandum hoc videtur, quod de corruptelae origine non satis accuratum ille fecit iudicium. Nam si codd. deteriores ante illustr. auct. pessime de exhibent, exinde non sequitur, eamdem praepos. etiam ante mem. mai. male a librario esse inculcatam. Immo quum Gud. et Erf. hic eam agnoscant, illic omittant, certissime consequitur, aliud latere aliquid in vocula de ante mem. obvia; nam Garatonii si vera esset opinio, etiam infra ante illustr. illi codd. eam nobis suppeditarent. Est autem de ortum ex male perspecto compendio q· (quod), quod librarii pro d· (de) acceperunt, veluti supra Gud. d· exemplis. Simile mendum infra c. 2 §. 5 sustulimus. Quae quum ita sint, nostro loco quod restituere non dubitavimus. Prorsus similiter orator infra c. 22 §. 51 est loquutus: qui *fecit,* quod C. Marium fecisse audierat; *fecit,* quod P. Crassum, quod L. Sullam, quod et q. s.

Ibid. §. 3 nihil de ipso modestius. „Repetitis superioribus ita explicandum videtur: nihil umquam audivi, quod mihi videretur de ipso, qui diceret, modestius. Sed haud

scio, an minus durum fuerit de se ipso, ut subaudiatur a quoquam." Garat. Illud praestat; nihil mutandum.

Ibid. §. 3: ut mihi iam verum videatur illud esse, quod nonnulli, litteris ac studiis doctrinae dediti, quasi quiddam incredibile dicere putabantur, eum, qui omnes animo virtutes comprehendisset, omnia, quae faceret, recte facere. Sic locum restituimus. Vulgata fuit: eum, qui omnes animo virtutes penitus comprehendisset, omnia, quae facere vellet, facillime tractare. Pessimas in ea conspicuas esse librariorum hariolationes, haud negabit, qui paullo accuratius inspexerit codices; vid. V. L. Quid enim? num mirabile illud est, eum, qui omnes animo virtutes comprehenderit, omnia — facillime posse tractare? Vulgatam etiam Ascens. nostra tuetur; sed quibus in libris mss. ea exstet, editorum nemodum planis verbis significavit. Mirum autem est, iam apud Lambinum viros doctos quosdam facere, quod in optimis est codd., delere, contra vellet, quod ibidem non reperitur, religiose servare voluisse; multoque magis est mirandum, etiam Garatonium, decus illud *κρίσεως* Tullianae, ab eorumdem virorum partibus stare voluisse, ita ut vel caussam interpolationis indagasse sibi visus sit, quum in codd. verbi facere sedes variaret. Cui quis tandem assentietur? aut ex illa collocationis varietate quis non item recte vellet esse additicium concludet? praesertim quum in Gud. aliisque infinitivum facere inveniat? quem posthac fultum esse perspicua illa interpolatione quis tandem ibit infitias? Recte igitur tum demum iudicasset Garatonius, si libri optimi vellet, omisso facere, deteriores vellet facere ostenderent. Quid multa? certum est, locum ex iis libris persanandum esse, qui paucissima nobis verba exhibeant; nostros dico, Gud. Erf. Helmst. Ac primum quidem quod exhibet Gud. q̄ facē, id non cum Ernestio legendum est quam facillime, sed quae facere, idque proxime accedit ad Erf. et Helmst. Corruptela igitur latet in tractare. Quam ut removeamus, de totius loci sententia accuratius inquirendum est. Manutium si sequimur, viri illi, doctrinae studiis dediti, sunt stoici, qui eum, qui omnes animo virtutes comprehendisset, omnia, quae faceret, tractare dixerint; locus igitur est tamquam communis. At tum corrupta sunt verba ultima, quum certa illa ratio, qua tractent omnia, requiratur. Hinc demum lux verbis nostris accenditur; nam si litteram t ab antec. facere avulsam restitueris, cum Erf. et Helmst. habebis faceret; quod autem restat ractare, in eo quin agnoscatur certissime r̄cefare, i. e. *recte facere* quis tandem est qui dubitet? nam tu vide modo Gud., qui §. 2 fare pro *facere* exhibet. Unde sequitur, supra quoque pro corrupto v. ei necessario reponendum esse eum. Quod qui facere nolit malitque in codd. omnium lectione ei acquiescere, is ex Terent. Hec. III, 5, v. 20 (Both.): Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus, paullo audacius verba nostra refinxerit sic: recte se dare. Sed primum ego vereor, ut Cicero ea loquutione usquam usus sit; deinde postulat loquendi consuetudo, ut in his et similibus idem verbum repetatur, veluti supra §. 2: me omnibus, si minus referenda gratia *satisfacere* potuerim, praedicanda et habenda certe satis *esse facturum;* simili ratione nos dicimus: was du ***thust,*** das ***thue*** mit Ueberlegung vel was du ***schreibst,*** das ***schreibe*** gut. Denique ad veritatem proxime accesserit, depravationem ei ex imperitia librariorum ortam esse, quippe qui, sensum loci non perspicientes, verba nostra satis perverse ad viros illos litteris deditos referenda esse crederent, id quod ex corrupta cod. Ox. χ scriptura ei qui — comprehendissent luculentissime apparet; fecere igitur ei ex eū. Quae quum ita sint, scripsimus: eum, qui omnes animo virtutes penitus comprehendisset, omnia, quae faceret, recte facere.

Ibid. cap. II, §. 4: Sed mos est gerendus non modo Cornelio, cuius ego voluntati in eius periculis nullo modo deesse possum, sed etiam Cn. Pompeio, qui sui facti, sui iudicii, sui beneficii voluit me esse, uti apud eosdem vos, iudices, nuper in alia caussa fuerim, et praedicatorem et auctorem. Vulgatam hanc editionum

nostrarum scripturam mendis esse depravatam, pro certo poni debet. Nam ut *κακοφωνίαν* voculae modo tam prope repetitae omittamus, ea vocula ipsa in Gud. nostro non apparet; unde recte concludendum est, eum, qui Gudianum exaravit, scribere voluisse nullo, h. e. nullus; nullo modo a glossatore est. Cf. Zumpt. §. 688. Deinde verba sui facti quid significent, satis liquet; quid sui iudicii, non item. Quod si cum his arcte coniunxeris ultima illa sui benef., tum sane sensus erit, voluisse Pompeium, ut suum de Balbo utpote civitate dignissimo iudicium defenderetur a Cicerone atque confirmaretur. Recte sane, si modo in fine verborum codices cum ea explicatione consentirent. At illi quidem quum tantum non omnes ibi afferant et praedicatorem et actorem, quumque vox actor neque ad factum neque ad beneficium satis apta videatur (cf. Ernest. ad h. l.), iam dudum Vett. Editt. pro act. restituerunt auctorem. Ego vero, si vv. sui iud. explicatio, quam supra proposui, vera est, vocem act. ne cum sui iud. quidem recte convenire video, quum Latinorum nemo facile iudicii, h. e. opinionis actorem aliquem recte dixerit. Atqui scripturam actorem optimi codd. confirmant omnes. Ergo vitium latet in prioribus. Quae quum ita sint, alia vocis iud. significatio est quaerenda; ast eam tum demum recte statues, ubi vv. sui benef. expunxeris. Eadem autem vel etiam propterea sunt suspiciosa, quod, quum priora sui facti nihil circumscribant aliud, nisi civitatem Balbo ita donatam, ut vel ipsius Pompeii caussa inde sit conflata, certe postrema illa sui benef. putidam tantum eiusdem vocis repetitionem contineant. Quare iam dubium non potest esse, quin soli Gudiano, vv. sui beneficii omittenti tribuenda sit auctoritas. Iam vero circumspiciendum, vv. sui iud. quid tandem significent. Ubi ad vim anaphorae sui-sui animum attenderis simulque ponderaveris verba, quae §. 6 leguntur sic: Ergo in iudicium caput Cornelii, factum Pompeii vocatur, non poteris non concedere, nostro loco sui f. esse accipiendum fere pro suae caussae suo facto concitatae; unde sequitur, etiam sequentia sui iud. non posse intelligi de Pompeii opinione, qua Balbum olim ob merita sua dignum iudicarit civitate, sed de iudicio, in quod nunc quasi sit vocatus, ut sese de iniusta illa civitatis donatione purgaret. Voluit igitur Pompeius, ut Cicero et facti sui praedicator et iudicii sui, h. e. caussae suae actor esset. Quibus sic expositis neminemdum esse credo, qui iam pro verissima codd. scriptura actorem defendere velit Vett. Editt. commentum auctorem. Cf. pro Sest. c. 69 §. 144: Video P. Sestium, meae salutis, vestrae auctoritatis, publicae caussae defensorem, propugnatorem, actorem, reum; ubi item codd. deteriores auctorem; vid. Halm. p. 316. Unum restat, ut addam, de vi vocis iud. eos non esse dubitaturos, qui attenderint, Latinos eum recte dixisse iudicium habere (einen Process haben), qui in iudicium sit vocatus, h. e. accusatus. Cff. Cic. Tusc. I, c. 29 §. 71: His et talibus rationibus adductus Socrates nec patronum quaesivit ad iudicium capitis, nec iudicibus supplex fuit. Verr. I, c. 53 §. 139: etenim id iudicium, quod prope omnium fortunarum suarum C. Mustius habuit, me uno defendente vicit. Cornel. Nep. Vit. Att. c. 6: In ius de sua re nunquam ivit: iudicium nullum habuit; ubi vid. Editt.

Ibid. §. 4. ut apud eosdem vos, iudices, nuper in alia caussa fuerim. Quaerendum est, quae tandem alia illa caussa fuerit. Manutius iudicium nescio quod de iure civitatis intelligi voluit, idque, ni fallunt nos omnia, ex vv. apud eosdem iudd. concludendum iudicavit. Itaque ab eorum stat partibus, qui, veluti Ferrat. Epp. I, 7, 13, peculiarem Romae de civitate quaestionem constitutam fuisse posuerunt. At quid illi attulerunt, ut commentum illud suum fulcirent ullo modo ac stabilirent? num ex hoc nostro iudicio, num ex subditicia illa Archiana quidquam eruas, quo illorum defendas opinionem? Immo quum ne minimum quidem eius rei vestigium apud ullum scriptorem investigari possit quumque omnia in incerta posita sint coniectura, Ferratii aliorumque explosa iaceat opinio necesse est. Longe autem consideratius egerunt ii, qui nonnumquam unum praetorem duabus praefuisse quaestionibus statuerunt; cf. Walter. Hist. J. Rom. p. 862: Es konnten aber zwei

Quaestionen in einer Person vereinigt, oder Verbrechen, die in derselben Lex behandelt waren, doch an verschiedene Quaesitoren vertheilt, oder auch für dasselbe Verbrechen mehrere Quaesitoren bestellt sein. Quum igitur peculiaris de iure civitatis quaestio investigari possit nulla, probabile sane vel maxime est, ea iudicia a praetore, qui quaestionem de vi gubernabat, esse administrata. Accedit quod, si vera esset Manutii sententia, per sane foret ridiculum, si Pompeius vel propterea, quod Cicero iam in alia de civitate caussa apud eosdem iudices verba fecisset, eumdem se quoque in sua caussa defendere voluisset. Quid enim? num defensio illa ad Pompeium pertinebat? an statuemus, eum paullo ante in simili iam fuisse conditione, ut nescio quis civitate ab eo donatus in iudicium postularetur? Nihil sane constat, neque credi id potest, quum, si verum esset, orator de simili illa caussa certe verbum addidisset. Denique si credi oporteret Manutio, verba nostra a superioribus sui facti, sui iud. prorsus seiungenda essent. At id ipsum perversissimum esset, quum verba illa sequentibus *me* voluisse accurate respondeant. Unde demum sequitur certissime, verborum sensum esse, Pompeium voluisse Ciceronem in hac quoque sua caussa ita sibi patrocinari, uti in alia caussa sui facti iam praedicator fuisset ac defensor. Neque haerendum est ullo modo in subiunctivo praeteriti fuerit; est enim hic locus ex eorum numero, qui certissime coarguunt, falsissimum esse placitum illud Grammaticorum nostrorum, qui quasi duplicem pfcti formam esse ponunt, alteram historicam, logicam, ut ita dicam, alteram. In ipsa pfcti forma tale quicquam minime inest, quum Latini unam tantum et eandem agnoverint; contra omnia posita sunt in mente atque cogitatione loquentium; eaque cogitatio diversa sane ratione flecti potest vivo sermone ac mutari. Ergo si nostro loco ipsius Pompeii mentem exprimere voluisset orator, profecto dixisset: voluit —, ut — fuissem. At id ipsum noluit; significaturus enim, sese rationem, qua ductus Pompeius se patronum esse voluisset, plane ut suam agnoscere, ex sua demum ipsius cogitatione scripsit ut — fuerim, ita ut verba me esse, ut — fuerim arctissime sint coniungenda. Quibus expeditis redeundum est, unde digressi sumus; quaestio enim iam exsistit subdifficilis, quae tandem alia illa caussa fuerit. Acta est Corneliana nostra a. 56 post priorem illam Milonianam et Sestianam; cff. Abeken Cicero etc. p. 152, not. 3. Drum. H. R. Vol. V, p. 663, 664 sqq. 716, not. 54. Tribus istis caussis vehementissime ab inimicis suis laesus est Pompeius; convicia autem illa fluxerunt omnia ex uno fere et eodem fonte. Quum enim Romae id vel maxime ageretur, ut Cicero in patriam rediret, unus omnium acerrime Pompeius summa sua auctoritate est enisus, ut reditus illi decerneretur; quumque in senatu L. Cotta sententiam dixisset, oratorem non restitui solum, sed etiam ornari debere, Cn. Pompeius post eum rogatus sententiam suam aperuit sic, sese otii Ciceronis caussa, ut omni populari concitatione defungeretur, censere, ut ad senatus auctoritatem populi quoque Rom. beneficium adiungeretur; cf. pro Sest. c. 34 §. 73. 74. Quod quum patribus visum esset, quantumvis emptus ille trib. pl. Atilius intercessisset, tamen lex ad populum est lata; obstiterunt autem tanto furore Clodiani tantamque in foro ediderunt stragem, lex ut tum quidem perferri non posset; cf. pro Sest. c. 35 §. 77. Sed tamen ne sic quidem potuit Ciceronis reditus contra Pompeii potentiam impediri; lex postea est perlata. Ex quibus satis est perspicuum, sententiam illam, quam in senatu Pompeius de revocando Cicerone dixerat, quum tumultum illum tum omnia mala excitasse, quae postea ille ab inimicis suis est perpessus. Furore enim instigatus Clodius in iudicium de vi vocare constituit, quicumque oratoris restituendi participes fuissent; recta autem via quum Pompeium ipsum adoriri nequiret, laedere eum atque vexare studebat accusando eos, qui in tumultu illo quasi a Pompeio excitato interfuissent. Ac primum quidem mense Ianuario Miloni diem dixit. Cui quum Pompeius patrocinaretur, tanta affectus est a Clodio contumelia, ut et caussa requiesceret et Pompeius postea foro abstineret; cf. Plut. Pomp. c. 48. 49. Iam vero ad locum nostrum redeundum est. Si cum Erf. et Helmst. scripseris fuerit, tum sane verba ad Milonianam videntur referenda, locique sententia erit haec,

Pompeium, uti in alia caussa sui facti defensor apud eosdem iudices fuerit, sic in hac me voluisse sui facti praedicatorem esse et actorem. Quod quo minus statuamus, sunt sane multa quae impediant. Primum enim verba non sunt concinne scripta; non sibi respondent: ut sui facti — fuerit et me sui facti etc.; exspectares ut mei facti — fuerit, id quod a loco alienissimum est. Deinde pronomen ipse omitti non potest; neque multum ego quidem tribuam coniecturae, si qui librarios ex male lecto iudīpe effinxisse iudices pro iudices, ipse fuerit suspicatus. Tum recepto fuerit vereor, ne unice rectum sit fuisset. Denique, id quod plurimi facio, obstat Gudiani auctoritas. Quae quum ita sint, verbis nostris Sestianam significari suspicor, quam item, si rem ad vivum resecueris, Pompeii facto excitatam esse negari non potest. Sensus igitur: ut in alia caussa *eius* facti, *eius* iudicii praedicator fuerim et actor. Uti enim in Corneliana nostra, sic in Sestiana tamquam Pompeii caussa ita agebatur, ut vir ille gloria atque omnium honorum genere unus omnium tum florentissimus, exagitaretur atque laederetur. Hinc etiam perspicuum est, cur Sestio reo Pompeius tanto studio praesto fuerit, ut ex agris Romam festinarit Sestium more solito publice laudaturus; cf. ad Fam. I, 9 §. 7. Simul autem in tota verborum comprehensione hoc fere latere, Pompeium nunc ab eodem Cicerone factum suum sic defendi voluisse, uti nuper ille in defendendo Sestio vel etiam in ipso Pompeio suam ipsius caussam egisset, non est quod addam.

Ibid. §. 5. Ac mihi quidem hoc dignum rei videtur, hoc deberi huius excellentis viri praestantissimae gloriae, hoc proprium esse vestri officii, hoc satis esse caussae, ut, quod fecisse Cn. Pompeium constet, id omnes ei licuisse concedant. „Ms. Erf. rei, quod non de nihilo videbatur Graevio, quum et alibi haec forma reperiatur apud Ciceronem. V. Clav. Consentit Ms. Guelf. item edd. R. W. Br. etc. quod mirum est, non vidisse Graevium. Iunta et Aldus dedere eo, P. Manut. primus reo, unde vulgata facta est. Itaque rei restitui." Ernest. Ad Ernestii verba Garatonius haec annotavit: „Reperi ego quoque in cod. Barb. et in edd. Rom. et Venetis dignum rei, neque aliter in quattuor Britt. (?). Aldus senior dignum eo. Sed vereor vehementer, ne probae loquutionis dignum rei tam dubium sit heic exemplum, quam similis dignum huius imperii esse demonstravi (de Harusp. resp. c. 24). Eodem quidem sensu reo legitur iam inde a Naug., verum iste sensus, qui ad Balbi merita et amplitudinem pertinet, mihi non admodum placet; praesertim quum Balbi laus ante Pompeii laudem ita ponatur; quod vix alibi, in hoc autem aditu caussae plane non decere videtur. Immo vero quis ferat, tali reo, qualis est Balbus, dignam rem dici, ut Pompeio, quod fecerit, licuisse credatur? Explicari posset dignum rei, qua de agitur, civitatis nempe ab imperatore donatae. Sed hoc arbitror esse vulgato sensu deterius. Itaque suspicor, tam rei quam reo manasse ab alia scriptura rep. Certe praestaret meo iudicio: Ac mihi quidem hoc dignum republica sive reipublicae videtur. In edendo autem optimum Erf. tuto sequi nos posse, omnes nunc intelligunt: quem sequitur etiam Oudend. ad Sueton. Othon. c. 14." Haec Garatonius; recte, si quid video, quod attinet quum ad loquutionem dignum rei, quae apud Ciceronem ferenda non est, tum ad Balbi laudem pessime ante Pompeium collocatam; in eo autem prorsus a viro docto dissentio, quod in edendo nos tuto sequi posse cod. Erf. rei exhibentem iudicavit; immo si rei pro vitio est habendum, exstirpetur necesse est. Atque ego quidem olim pro dignum rei ab oratore scriptum esse suspicabar dignitati, eamque emendationem, ni me postea meliora edocuisset Gudianus, in verborum ordinem receperam, quum optime concinere verba viderentur haec, sane hoc videri dignitati, hoc gloriae Pompeii, ut et q. s.; quamquam ne sic quidem locum omni dubitatione vacuum esse intelligebam; nam sive dignum rep. cum Garatonio, seu nobiscum dignitati reposueris, hoc sane concedatur necesse est, Balbi rei mentionem vix nostro loco ac ne vix quidem premi potuisse silentio. Verumtamen posteaquam infra ex Gudiano demum veram Ciceronis manum eruimus, nemini iam dubium esse potest, quin Garatonii emendatio et facillima sit et verissima; quare eam reposuimus.

Quaestionen in einer Person vereinigt, oder Verbrechen, die in derselben Lex behandelt waren, doch an verschiedene Quaesitoren vertheilt, oder auch für dasselbe Verbrechen mehrere Quaesitoren bestellt sein. Quum igitur peculiaris de iure civitatis quaestio investigari possit nulla, probabile sane vel maxime est, ea iudicia a praetore, qui quaestionem de vi gubernabat, esse administrata. Accedit quod, si vera esset Manutii sententia, per sane foret ridiculum, si Pompeius vel propterea, quod Cicero iam in alia de civitate caussa apud eosdem iudices verba fecisset, eumdem se quoque in sua caussa defendere voluisset. Quid enim? num defensio illa ad Pompeium pertinebat? an statuemus, eum paullo ante in simili iam fuisse conditione, ut nescio quis civitate ab eo donatus in iudicium postularetur? Nihil sane constat, neque credi id potest, quum, si verum esset, orator de simili illa caussa certe verbum addidisset. Denique si credi oporteret Manutio, verba nostra a superioribus sui facti, sui iud. prorsus seiungenda essent. At id ipsum perversissimum esset, quum verba illa sequentibus *me* voluisse accurate respondeant. Unde demum sequitur certissime, verborum sensum esse, Pompeium voluisse Ciceronem in hac quoque sua caussa ita sibi patrocinari, uti in alia caussa sui facti iam praedicator fuisset ac defensor. Neque haerendum est ullo modo in subiunctivo praeteriti fuerit; est enim hic locus ex eorum numero, qui certissime coarguunt, falsissimum esse placitum illud Grammaticorum nostrorum, qui quasi duplicem pfcti formam esse ponunt, alteram historicam, logicam, ut ita dicam, alteram. In ipsa pfcti forma tale quicquam minime inest, quum Latini unam tantum et eandem agnoverint; contra omnia posita sunt in mente atque cogitatione loquentium; eaque cogitatio diversa sane ratione flecti potest vivo sermone ac mutari. Ergo si nostro loco ipsius Pompeii mentem exprimere voluisset orator, profecto dixisset: voluit —, ut — fuissem. At id ipsum noluit; significaturus enim, sese rationem, qua ductus Pompeius se patronum esse voluisset, plane ut suam agnoscere, ex sua demum ipsius cogitatione scripsit ut — fuerim, ita ut verba me esse, ut — fuerim arctissime sint coniungenda. Quibus expeditis redeundum est, unde digressi sumus; quaestio enim iam exsistit subdifficilis, quae tandem alia illa caussa fuerit. Acta est Corneliana nostra a. 56 post priorem illam Milonianam et Sestianam; cff. Abeken Cicero etc. p. 152, not. 3. Drum. H. R. Vol. V, p. 663, 664 sqq. 716, not. 54. Tribus istis caussis vehementissime ab inimicis suis laesus est Pompeius; convicia autem illa fluxerunt omnia ex uno fere et eodem fonte. Quum enim Romae id vel maxime ageretur, ut Cicero in patriam rediret, unus omnium acerrime Pompeius summa sua auctoritate est enisus, ut reditus illi decerneretur; quumque in senatu L. Cotta sententiam dixisset, oratorem non restitui solum, sed etiam ornari debere, Cn. Pompeius post eum rogatus sententiam suam aperuit sic, sese otii Ciceronis caussa, ut omni populari concitatione defungeretur, censere, ut ad senatus auctoritatem populi quoque Rom. beneficium adiungeretur; cf. pro Sest. c. 34 §. 73. 74. Quod quum patribus visum esset, quantumvis emptus ille trib. pl. Atilius intercessisset, tamen lex ad populum est lata; obstiterunt autem tanto furore Clodiani tantamque in foro ediderunt stragem, lex ut tum quidem perferri non posset; cf. pro Sest. c. 35 §. 77. Sed tamen ne sic quidem potuit Ciceronis reditus contra Pompeii potentiam impediri; lex postea est perlata. Ex quibus satis est perspicuum, sententiam illam, quam in senatu Pompeius de revocando Cicerone dixerat, quum tumultum illum tum omnia mala excitasse, quae postea ille ab inimicis suis est perpessus. Furore enim instigatus Clodius in iudicium de vi vocare constituit, quicumque oratoris restituendi participes fuissent; recta autem via quum Pompeium ipsum adoriri nequiret, laedere eum atque vexare studebat accusando eos, qui in tumultu illo quasi a Pompeio excitato interfuissent. Ac primum quidem mense Ianuario Miloni diem dixit. Cui quum Pompeius patrocinaretur, tanta affectus est a Clodio contumelia, ut et caussa requiesceret et Pompeius postea foro abstineret; cf. Plut. Pomp. c. 48. 49. Iam vero ad locum nostrum redeundum est. Si cum Erf. et Helmst. scripseris fuerit, tum sane verba ad Milonianam videntur referenda, locique sententia erit haec,

Pompeium, uti in alia caussa sui facti defensor apud eosdem iudices fuerit, sic in hac me voluisse sui facti praedicatorem esse et actorem. Quod quo minus statuamus, sunt sane multa quae impediant. Primum enim verba non sunt concinne scripta; non sibi respondent: ut sui facti — fuerit et me sui facti etc.; exspectares ut mei facti — fuerit, id quod a loco alienissimum est. Deinde pronomen ipse omitti non potest; neque multum ego quidem tribuam coniecturae, si qui librarios ex male lecto iudipe effinxisse iudices pro iudices, ipse fuerit suspicatus. Tum recepto fuerit vereor, ne unice rectum sit fuisset. Denique, id quod plurimi facio, obstat Gudiani auctoritas. Quae quum ita sint, verbis nostris Sestianam significari suspicor, quam item, si rem ad vivum resecueris, Pompeii facto excitatam esse negari non potest. Sensus igitur: ut in alia caussa *eius* facti, *eius* iudicii praedicator fuerim et actor. Uti enim in Corneliana nostra, sic in Sestiana tamquam Pompeii caussa ita agebatur, ut vir ille gloria atque omnium honorum genere unus omnium tum florentissimus, exagitaretur atque laederetur. Hinc etiam perspicuum est, cur Sestio reo Pompeius tanto studio praesto fuerit, ut ex agris Romam festinarit Sestium more solito publice laudaturus; cf. ad Fam. I, 9 §. 7. Simul autem in tota verborum comprehensione hoc fere latere, Pompeium nunc ab eodem Cicerone factum suum sic defendi voluisse, uti nuper ille in defendendo Sestio vel etiam in ipso Pompeio suam ipsius caussam egisset, non est quod addam.

Ibid. §. 5. Ac mihi quidem hoc dignum rei videtur, hoc deberi huius excellentis viri praestantissimae gloriae, hoc proprium esse vestri officii, hoc satis esse caussae, ut, quod fecisse Cn. Pompeium constet, id omnes ei licuisse concedant. „Ms. Erf. rei, quod non de nihilo videbatur Graevio, quum et alibi haec forma reperiatur apud Ciceronem. V. Clav. Consentit Ms. Guelf. item edd. R. W. Br. etc. quod mirum est, non vidisse Graevium. Iunta et Aldus dedere eo, P. Manut. primus reo, unde vulgata facta est. Itaque rei restitui.“ Ernest. Ad Ernestii verba Garatonius haec annotavit: „Reperi ego quoque in cod. Barb. et in edd. Rom. et Venetis dignum rei, neque aliter in quattuor Britt. (?). Aldus senior dignum eo. Sed vereor vehementer, ne probae loquutionis dignum rei tam dubium sit heic exemplum, quam similis dignum huius imperii esse demonstravi (de Harusp. resp. c. 24). Eodem quidem sensu reo legitur iam inde a Naug., verum iste sensus, qui ad Balbi merita et amplitudinem pertinet, mihi non admodum placet; praesertim quum Balbi laus ante Pompeii laudem ita ponatur; quod vix alibi, in hoc autem aditu caussae plane non decere videtur. Immo vero quis ferat, tali reo, qualis est Balbus, dignam rem dici, ut Pompeio, quod fecerit, licuisse credatur? Explicari posset dignum rei, qua de agitur, civitatis nempe ab imperatore donatae. Sed hoc arbitror esse vulgato sensu deterius. Itaque suspicor, tam rei quam reo manasse ab alia scriptura rep. Certe praestaret meo iudicio: Ac mihi quidem hoc dignum republica sive reipublicae videtur. In edendo autem optimum Erf. tuto sequi nos posse, omnes nunc intelligunt: quem sequitur etiam Oudend. ad Sueton. Othon. c. 14.“ Haec Garatonius; recte, si quid video, quod attinet quum ad loquutionem dignum rei, quae apud Ciceronem ferenda non est, tum ad Balbi laudem pessime ante Pompeium collocatam; in eo autem prorsus a viro docto dissentio, quod in edendo nos tuto sequi posse cod. Erf. rei exhibentem iudicavit; immo si rei pro vitio est habendum, exstirpetur necesse est. Atque ego quidem olim pro dignum rei ab oratore scriptum esse suspicabar dignitati, eamque emendationem, ni me postea meliora edocuisset Gudianus, in verborum ordinem receperam, quum optime concinere verba viderentur haec, sane hoc videri dignitati, hoc gloriae Pompeii, ut et q. s.; quamquam ne sic quidem locum omni dubitatione vacuum esse intelligebam; nam sive dignum rep. cum Garatonio, seu nobiscum dignitati reposueris, hoc sane concedatur necesse est, Balbi rei mentionem vix nostro loco ac ne vix quidem premi potuisse silentio. Verumtamen posteaquam infra ex Gudiano demum veram Ciceronis manum eruimus, nemini iam dubium esse potest, quin Garatonii emendatio et facillima sit et verissima; quare eam reposuimus.

Plura vide, si placet, infra ad vv. hoc satis esse caussae. Est autem dignum rep. dictum pro hoc dignitati reipublicae deberi, vel hoc reipublicae postulare videtur dignitas.

Ibid. §. 5 hoc satis esse caussae et q. s. Editores utrum caussae pro dativo acceperint, an pro genitivo, ego quidem ignoro; librarios in eo vidisse genitivum, mihi facile persuasi. Quos ubi sequeris, sententia tam est obscura, ut ab absurda haud ita multum differat. Quid enim? orator si ad unum omnes vult concedant oportere, quod fecisset Pompeius, id etiam ei licuisse; si hoc deberi dicit gloriae Pompeii; si hoc praestare sententiis suis esse necesse affirmat iudices: tune simile quidquam in nostris verbis inesse obtinebis? Ego vero nego; anaphora enim pronominis hoc verba nostra non ad antecedd., sed ad seqq. demum recte referenda esse satis declarat. Si dativum statuimus, sensus verborum, uti hodie leguntur, non minus caret suspicione; immo ubi supra vulg. dignum rei, h. e. Balbi, retinueris, tam est dubius, ut locus pro corrupto non possit non haberi. Lucem tandem attulit optimus Gudianus, qui verba illa quidem satis vitiose exhibet sic: hoc satis esse cavere. Quo in libro quum vox causa haud raro scripta reperiatur sic: cau̅a (veluti infra §. 64 in hac cau̅a), deinde quum littera e sine unco infra posito saepissime deprehendatur pro ae, sane dubitari nullo modo potest, quin cavere ortum sit ex causae re, h. e. caussae (dativ.) rei, h. e. Balbi. Sic demum fit perspicuum, quid dicere orator voluerit. Primum enim suo loco memoratur Balbus; deinde etiam reipublicae supra suus honor restituitur et sua dignitas, quippe quae publice lege Gellia Pompeio potestatem fecerit in civitatem recipiendi, quemcumque voluerit; cf. c. 8 §. 19. Tota denique sententia tam est concinna, ut de scripturae nostrae veritate dubitatio superesse possit nulla; quae quo planius appareat, verba ipsa paullo sunt invertenda sic: Ut igitur, quod Pompeium fecisse constet, omnes etiam ei licuisse concedant, id sane mihi quidem dignum esse republica, id deberi Pompeii gloriae, id proprium esse officii iudicum, id denique satis esse caussae Balbi videtur.

Ibid. §. 5. Vulgata est: Nam verius nihil est, quam quod hesterno die dixit ipse, ita L. Cornelium de fortunis omnibus dimicare, ut nullius in delicti crimen vocaretur. Non enim furatus esse civitatem, non genus suum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delituisse, non irrepsisse in censum dicitur: unum obiicitur, natum esse Gadibus: quod negat nemo. Est hic locus ex eorum numero unus, qui, Ciceronis opera quae fata olim habuerint, certissime doceant. Etenim vulgata illa quidem totius periodi compositio inde a vv. nam verius usque ad v. nemo tam est concinne scripta, ut, quid in ea reprehendas, vix reperias; verba non solum ubique latina sunt, verum etiam oratoris manum prae se ferre videntur propriam. Et tamen unicuique, nisi si qui forte etiamnunc eorum placitis fuerit addictus, qui vett. scriptorum opera optimis quibusque scripturis ex diversissimis codd. eligendis in integrum recte demum restitui posse confidunt, nos facile persuadebimus, nostro loco nos legere non Ciceronis verba, sed correctorum emendationes manifestissimas. Rem satis aperit Gudianus, qui pro dimicare exhibet dimicat̄; deinde particulam enim post non (ante furatus) omittit; denique infra pro dicitur, obiicitur praebet dicē, obicere. Quas satis miras quidem diversitates ita pro nihilo habuit Ernestius, ut eas ne memorarit quidem; vidit in iis nimirum nihil aliud fere, nisi pessima scribendi vitia. Nos de iis longe secus iudicare volumus; ex contemtis enim illis vestigiis nos genuina demum oratoris verba, remotis librariorum correctionibus, restituimus. Ac si nihil esset aliud, quod pro ratione nostra loqueretur, certe hoc unum satis esset ad iudicium nostrum confirmandum, quod Gudianus part. enim, a correctoribus in Cic. scripta sexcenties pessime intrusam, solus omittit. Quae quidem si revera a Cicerone esset profecta, tum certe, si quidem tota sententia eam non ad vv. nam verius nihil est, sed ad statim antecedd. ut nullius etc. pertinere evincit, ille scripsisset: Non enim furatum — dici: unum obiici, quippe non suam effecturus, sed Pompeii continuaturus cogitationem. At id ipsum orator voluit, ut

Pompeii mentem aperiret; ergo sic est loquutus, ut eum loquentem restituimus. Est autem totius loci depravatio orta ex verbi dimicat̄ correctione; quod quum semel esset mutatum in dimicare, tum addita est part. enim et infra correctum dicitur, obicitur. Sed sic tamen remansit difficultas, quam non viderunt correctores, Ernestius vidit, qui post dimicare ferre noluerit vocaretur pro vocetur. Quam nos acrius non urgebimus, quum vocaretur hic recte sane dictum sit, id quod sequentia satis docent. Difficultates autem evanescunt omnes, si dimicat̄ recte legeris sic: dimicantem; cuius quidem scripturae simile compendium apud nostrum vide §. 15. requiescet̄ pro requiescentem, et infra §. 44. ignorat̄ pro ignorantes. Iam vero etiam infra ex corruptelis illis genuina scriptura apparet; nam licet dicē legendum sit dicere, id quod docet forma plene scripta obicere, tamen quisquis fuit, qui librum Gudianum exaravit, is certe, quod dedit, ex Archet. dedit. Sic supra pro videtur ille scripsit vidē; item infra §. 37 caverē pro caveretur; §. 38 pro diminueretur exhibuit diminuerē̃t, puncto infra litteram t posito, quo ubique uti solet, si hanc illamve litteram non recte a se depictam vel positam esse significaturus est; voluit igitur, uti in archetypo fuit, scribere diminuerē̃, h. e. diminueretur. Unde si certissime sequitur, in archet. compendium ˜ non solum pro ur, verum etiam pro syllaba tur fuisse usurpatum, deinde si addideris, compendium syllabae re, quippe eadem ratione scriptum, nostro loco cum altero illo coaluisse, profecto non dubitabis nobis assentiri, in arch. fuisse dicē̃, obicē̃ (diceretur, obiiceretur); librarius errore quodam lapsus dedit dicē̃, obicere. Quae quum ita sint, totum locum ab oratore scriptum esse affirmamus sic: nam verius nihil est, quam quod dixit ipse ita L. Cornelium de fortunis omnibus dimicantem, ut nullius in delicti crimen vocaretur, non furatus esse civitatem, non genus suum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delituisse, non irrepsisse in censum diceretur, unum obiiceretur, natum esse Gadibus; quod negat nemo. Haec igitur codicis Gudiani auctoritate nituntur omnia; unum est, quod haud scio an desideres, verba ultima unum obiiceretur non satis oratorie videri cum antecedentibus esse coniuncta; at si posueris, scriptum olim fuisse unūm, facili sane coniectura recte tibi videbere reposuisse verba sic: unum modo pro unūm̄. Restat, ut corruptelae effingendae quid ansam dederit, aperiamus; quod enim librarius noster fecit, ut quam religiosissime litteras depingeret, id non fecere reliqui; immo hi, post v. verius sequi non posse opinati structuram quod-dixit-dimicantem, totum locum misere corruperunt. Satis imperite; nam etiamsi verum esset, hic necessario post verius requiri structuram Acc. c. I., tamen illi non tenuerunt, eamdem structuram haud raro particula quod circumscribi solere; cf. de Orat. II, c. 9, §. 38: sed, quid cuiusque sit proprium, etsi ex eo iudicari potest, quum videris, quid quaeque doceant, tamen hoc certius nihil esse potest, quam quod omnes artes aliae sine eloquentia suum munus praestare possunt, orator sine ea nomen suum obtinere non potest. Quem quidem locum recte perspexisse videri debet Orellius, qui neque in hoc certius neque in quam ullo modo haeserit; nam hoc certius noli explicare cert. quam hoc sed potius hac ipsa de re, um ebendesshalb, plane uti supra eo multi et q. s.: idemque statuendum de Orat. II, c. 1, §. 4: Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse numquam putaretur, ubi huic pro hoc pessime suspicatus est Pearcius. De nostro loco vide etiam de Nat. D. II, c. 45, §. 115: Nec vero haec solum admirabilia, sed nihil maius, quam quod ita stabilis est mundus atque ita cohaeret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius. At vero in nostris verbis ne minimum quidem haesitandum fuit; nam si locis allatis part. quod recte circumscripta est structura Acc. c. I., certe hic de eadem structura ne cogitare quidem debuerunt librarii; nam non id agit orator, ut verum omnino esse doceat, Pompeium fuisse, qui verba fecerit, sed verissimum hoc esse, quod Balbum de fortunis omnibus dimicantem

dixerit. Quod quo magis appareat, inverte modo paullisper orationem sic, uti supra nos fecimus; comparativa illa enuntiatione usus est orator pro superlativa verissimum est, post eamque hic unice recte sequi quod dixit dimicantem, non est quod peritos doceam accuratius.

Ibid. §. 5: non genus suum ementitus. Haec vitiosa putavit Ernestius, quum homines alienum genus, non suum ementiri soleant; itaque suum ut a librario additum uncis inclusit. Quem recte refutavit Garatonius sic: Ego vero, si ementiri est falsa proferre pro veris, non video, cur, qui falso aliquod sibi genus adscribit, dici nequeat genus suum ementiri.

Ibid. §. 5: Ceterum accusator fateatur etc. Pro ceterum bonae notae libri afferunt cetera, non male; sed obsequendum fuit Gudiano; quamquam cavendum, ne ceterum interpretere sic fere: abgesehen davon; est potius was das Uebrige, auf Balbus Bezügliche anbelangt. Quae sequuntur, ea nemodum virorum doctorum in examen vocavit. Ex codd. duplex affertur scriptura; libri optt. fateatur, deteriores fatetur exhibent, eamque lectionem receperunt editores. Utraque satis idoneam quidem, sed tamen non eamdem efficit sententiam. Si vulgatam sequeris, dicendum sane, quum sequentia ad egregia Balbi merita pertineant, accusatorem ipsum ea ad amplificandas eius laudes afferre non dubitasse. At num credi potest, eum tanto fuisse animi candore, ut in oratione sua more sane novo et insolito hominem a se in ius vocatum tot ac tantis extulerit laudibus? Minime; Ciceronis sunt laudes, hic reum praedicat, ut viam sibi muniat ad seqq. (§. 6): Ergo in iudicium caput Cornelii, factum Pompeii vocant. Quibus non obstant, quae ibidem leguntur sic: hunc — nullius laboris, nullius obsessionis, nullius proelii expertem fuisse; nam ea non accusatoris sunt, sed, id quod verba volunt, vocant, concedis docent perspicue, invidorum illorum hominum, qui in Cornelio Pompeium laedere voluerunt. Quae quum ita sint, nostro loco Gudiani auctoritas necessario fuit amplectenda. Orator enim, posteaquam Pompeii iudicium commemoravit, unum tantum Balbo vere obiici, natum esse Gadibus, iam sic pergit, ut, quod ad Balbi res reliquas attineat, ei non modo nihil posse vere exprobrari, sed fatendum esse accusatori dicat, summa eius esse de republica merita. Itaque fateatur commonentis est; vult enim orator, accusatorem facere non posse, quin, quae diffiteri ipse nequeat, ingenue concedat. Cf. Cic. Tusc. V, c. 41, §. 118: Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quae in Graecorum conviviis obtinet: ***aut bibat,*** inquit, ***aut abeat!*** et recte. Aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi, aut, ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat: sic iniurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. Vide etiam Horat. Serm. I, 3, 69. — In seqq. pro vulg. cum Q. Met., cum C. Memmio ex Gud. restituimus cum Q. M. et C. Memmio; non enim is vir fuit Memmius, qui cum imperatore suo Metello quasi eodem ordine poneretur, quippe qui ante Pompeii in Hispaniam adventum ne quaestura quidem functus esset.

Ibid. §. 5. Vulgatam loci scripturam Memmiumque habere quaestorem coeperit nihil esse nisi ieiunam librariorum correctionem clare indicant Erf. vestigia haec: Memmium qui ababere q. c., unde coniectura satis facili reponere Memmium quia habere non dubitabit, qui certam aliquam ab oratore afferri debere caussam secum reputarit, cur Balbus post Pompeii adventum tamen a Memmio discedere noluerit. Et quamquam eam ille caussam coram iudicibus ita pronuntiat, ut Balbum sic simul apud Pompeium versari voluisse significet, tamen, quum illum rei familiaris adaugendae fuisse studiosissimum satis constet, iisdem etiam verbis, eum non sine certa ratione hoc esse sectatum, ut quaestori Memmio, quippe iam amplissimae pecuniae curatori (cf. Walt. H. I. R. p. 161), ubique praesto esset, haud obscure indicat; quippe Balbum orator contemnebat; cf. Drum. H. R. Vol. II, p. 596. V, p. 716, not. 54. Haec plana sunt omnia, in his nihil est, in quo offendas. Et tamen displicet vel maxime mira illa oratoris loquutio, Pompeium coepisse Memmium habere quaestorem, proinde ac si Pompeius quaesturae ex arbitrio suo illi deferendae

potestatem habuerit. Quaestores a populo creabantur; creati sorte habebant suas provincias (cf. pro Mur. c. 8, §. 18); atque si hic illic factum est, ut imperatores sine sorte deligerent quaestores suos, id quod contra morem maiorum ipse Pompeius fecit et C. Julius Caesar (cf. ad Att. VI, 6, §. 4), tamen illi creatos deligebant; creari quidem quaestores non potuerunt nisi a populo; neque quidquam est, quod illis certe temporibus Pompeium tam superbe leges violasse confirmet. Quidni igitur orator, si semel uti voluit verbo coeperit, sic fere scripsit: Memmium quia sorte h. q. c.? cur tam ambigue loquutus est et ita quidem, ut populi Rom. auctoritatis rationem habuerit plane nullam? Quae quum ita sint, Memmius sane recte post Pomp. adventum quaestor coepit esse in illius exercitu; at Pompeius sorte demum illum quaestorem accepit vel nactus est. Neque illud iure dici potest, quum quaestores plures deinceps annos magistratu suo fungi potuisse sciamus (cf. Plut. Vit. C. Gracch. c. 2), Pompeium eum a Q. Metello quaestorem accepisse, propterea quod pro arctissimo illo pietatis vinculo, quo cum consulibus suis aliisve magistratibus quaestores plerumque fuere coniuncti (cff. Divin. in Caecil. c. 19, §. 61. 62. Adam. Antiqq. Rom. p. 208), Memmius, si Metelli quaestor fuisset, ab eo discedere nullo modo potuisset. Unde sequitur, eodem fere tempore, quo Pompeius in Hispaniam venit, Memmium a populo R. creatum esse quaestorem et Pompeio sorte additum. Ac licet ego quidem contra haec haud pauca speciosius quam verius disputari posse probe sciam, tamen illa effecerunt omnia, ut olim hanc excogitarem coniecturam, pro vitioso illo qui ababere rescribendum esse sic fere: Memmium quia sorte quaestorem ceperit, h. e. habuerit. Sed ea coniectura posthac opus non fuit; rem confecit Gudianus, qui scripturam exhibet hanc: Memmius qui abhabere, i. e. quia habere, quaesturam coeperit. Sententia autem est, posteaquam Pomp. in Hispaniam venerit, Balbum, quia Memmius quaestor esse coeperit (in Pompeii exercitu), a Memmio numquam discessisse. Verba illa in P. exerc. ex antecedd. animo esse supplenda quivis facile videt. In loquutione autem quaesturam habere non haesitabit, qui Latinos magistratum habere vel provincias habere recte sane et usitate dixisse considerarit. Cff. Cic. Verr. IV, c. 61, §. 137: Quum haec agerem, repente ad me venit Heraclius is, qui tum magistratum Syracusis habebat, h. e. administrabat; pro Mur. c. 8, §. 18: Habuit hic lege Titia provinciam tacitam et quietam: tu illam, cui, quum quaestores sortiuntur, etiam acclamari solet, Ostiensem.

Ibid. §. 5: Karthaginem possessum isse. Est his locus unus ex iis, qui prae ceteris codicis Gudiani praestantiam nos docuerunt. Neque Ernestius eam hic non perspexit, quem audi, si placet, recte sic disserentem: „Sic non dubitavi edere ex uno Ms. Guelf. Nam haec lectio nullo modo a librariis aut correctoribus nata est et substituta vulgatae esse profectum, estque hac longe melior et exquisitior. P. Manutius vulgatae explicandae addit ut eam occuparet; hoc exquisite est possessum isse. Non assequuti sunt librarii vim eius, interdum nec docti viri, ex eaque vulgatam fecere. Exempla alia huius usus v. in Clav. possidere." Haec ille; neque aliter Garatonius, qui sic disputavit: „Veram paene lectionem in uno reperi codice optimo Car. Stephani, quam nemo commemorat, Karthaginem esse possessurum: paene, inquam; una enim per usitatum errorem ibi redundat syllaba, quum debeat ex Latinorum more legi possessum. Balbus in Hispania bello Sertoriano Karthaginem novam missus fuit aut certe cum ipso Memmio in auxiliis non sine aliqua praefectura est profectus, ut occupatam illam urbem teneret essetque in praesidio, ne pateret hostibus. Hoc enim est possidere, ut pro domo c. 42: quum forum armatis catervis perditorum hominum possideres, ubi Graeviana emendatione (obsideres) nihil est opus. Similia sunt alia: et egregiam omnino huius verbi definitionem vide apud Pareum in Lex. Crit. p. 954. Neque vero urbis occupatio intelligi potest ex vulgata, quam de illa tamen Manutius explicat; nam proficisci *γενικόν* est: neque solum occupandi caussa, verum etiam obsidendi, opitulandi aliisque de caussis ad urbes copiae mittuntur. Nunc denique lectionem, quam ex illis

variarum Stephani lectionum tenebris erueram, suffragio boni codicis Guelf. confirmari cognosco, et gaudeo, in quo est Karthaginem possessum isse, quod verum esse intellexit ascivitque summus Ernestius."

Ibid. §. 5 Duriensi. „Perspicuum est, legendum esse Turiensi, et in Epist. Pompeii apud Sallust. Hist. III, c. 6: flumen Turium, ubi vide Cortium. Miror Burmannum Sec. emendationem Claudiani ignorasse, qui Turiam et Duriam pro eodem habet in Addend. ad Claud. p. 1023. Allegat autem ille de Turia loquentes Vibium Sequestr. et Avienum, quibus adde aliud Sallustii fragmentum a Vossio et Cortio laudatum; qui omnes loci incorrupti manserunt; ipsum denique Melam II, c. 6, apud quem Turiam restitutum iam fuit, quod erat in vett. editionibus, ut Abr. Gronovius testatur. Proxime ad veram lectionem accedit Plinius, qui III. N. H. c. 3. habet Turium, sic tamen, ut D. multi codices inferant. Sed Tarvisina editio, cod. Barb. et alter Chifflet., cuius collationem habeo, servant illud Harduini Turium; et iam pridem in Plinio Turiam emendabat Hermolaus Barbarus, qui princeps rem a Vossio postea demonstratam protulit. Etiam Leonardus Aretinus recte olim in Plutarchi Sertorio c. 19. vertit Turiam, sive meliore usus codice, sive rei notitia adiutus. Soli paene Sallust. in ea epistola et heic Tullius alieno loco Durium offerunt; adde, si vis, Claudianum, quem nihil moror, apud quem nulla est aeque varietas. Sed in Sall. Fragmento varietatem deesse mirum non sit; tantum vero in tot Ciceronis MSis et Edd. constantiam mirari aliquis possit. Tamen puto, non modo Sallustium altero ipsius loco emendari, verum etiam Tullium: quandoquidem ita historia postulat et vetus est atque obvia litterarum D et T ex pronuntiatione commutatio, de qua multa congessit Drakenb. ad Liv. VII, c. 16; notior denique Durius erat, quam Turia." Garat. Docti viri disquisitionem praemisimus, quo clarius Ernestii, cuius breviorem ille annotationem paullo copiosius est expositurus, appareat iudicium hoc: „non est sermo de Durio, Lusitaniae flumine, sed de Turio s. Turia flumine, qui in Sucronem incidit, in regione Valentiae." Nec viri illi assentientem non habuerunt Drumannum, qui haec habet H. R. Vol. IV, p. 368: „Sertorius führte sie gegen die Lager bei Saguntum (in der Gegend von Murviedro, östlich von Valentia und dem Turia) und überfiel die Mannschaft, welche die Zufuhr deckte." Idem not. 64. addit: „Man focht zwischen den Ruinen dieser Stadt (Sagunt) und dem Flusse. Bei Plut. (Sert. c. 19.) u. Flor. 3, 22. fin. ist statt Tutia, bei dem Letzteren der Name eines Ortes, Turia zu lesen, und bei Cic. p. Balb. 2. statt Duriensi (proelio) Turiensi." De rei veritate quamquam non facile quisquam dubitabit, tamen ego nonneminem mihi confido assensurum esse, quod in re tam lubrica codd. omnium auctoritatem posthabere noluerim. Nam si falsa est scriptura Duriensi, hoc vitium ipsi imputari debet Ciceroni, qui nomen illud falso pronuntiarit; quumque nobis non scriptoris, sed librariorum tantum errores resecandi sint, profecto locum suum scriptura Dur. obtineat necesse est, usque donec novi Ciceronis codd. in lucem protracti fuerint, qui Turiensi exhibent; modo hoc teneamus, hic sermonem esse non de Lusitaniae flumine Durio, sed de parvulo illo in regione Valentiae.

Ibid. §. 5: 'cum Pompeio ad extremum belli tempus fuisse. C. Memmius quum Plutarcho teste proelio illo Duriensi esset occisus, Balbus ad Pompeium ita se contulit, ut cum eo ad extremum belli tempus esset; cf. Vit. Sertor. c. 21: *ἠγωνίσθη δὲ λαμπρῶς παρ' ἀμφοτέρων. καὶ Μέμμιος μὲν, ὁ τῶν ὑπὸ Πομπηΐῳ στρατηγῶν ἡγεμονικώτατος, ἐν τῷ καρτερωτάτῳ τῆς μάχης ἔπεσεν.* Ceterum vide Drumann. H. R. IV, p. 368, qui rem sic gestam narrat: Pompeius wich nach einem blutigen Kampfe, worin er 6000 Mann einbüsste, und auch sein Quaestor Memmius an der Seite des L. Balbus fiel, vor Sertorius, welcher 3000 Todte zählte. Qui si ex verbis nostris a Memmio numquam discessisse conclusit, Memmium ad Balbi latus dimicantem interfectum esse, id sane vir doctissimus qua ratione tueri voluerit, non assequor.

Ibid. §. 6: Talis in remp. nostram labor, assiduitas, dimicatio, virtus digna summo imperatore, spes pro periculis praemiorum. Praemia quidem ipsa non sunt in eius facto, qui adeptus est, sed in eius, qui dedit. Sic locus vulgo excudi solet; nos autem pronomen hic ex Gud. et Erf. restituimus pro vulg. talis, quod glossam sapit. Verborum sensus est: Haec sunt proelia Cornelii: hic in remp. nostram labor, assiduitas, dimicatio, virtus digna fuit summo imperatore (Pompeio), spes fuit pro periculis praemiorum. Ergo quum Balbi labor, a. d. virtus tanta fuerit, ut ea praestanda et dignitatem ille afferret Pompeio, et ipse dignus reperiretur, qui in summi imperatoris exercitu stipendia faceret, simul etiam ex tanta virtute spem concepit fore, ut merito pro periculis praemio afficeretur. Quae quum ita sint, in istis verbis quantumvis nec satis dilucide neque admodum concinne scriptis non iam haesitandum est. Contra in seqq. est, quod offensionem moveat vel maximam. Namque ea tam negligenter cum antecedd. sunt coniuncta, ut vitium aliquod in iis latere non possimus non suspicari. Praemia illa ipsa perspicue sunt opposita spei pro per. praemiorum; ergo Balbus spem tantum aluit fore, ut acciperet. At cur spem tantum? propterea quod praemia ipsa non sunt in eius facto, qui accepit, sed in eius, qui dedit. Vides igitur, quum vis particulae quidem minime sit explicativa, sed restrictiva, vitium in ea deprehendi certissimum. Ac possis sane coniicere, ante eam librariorum incuria si excidisse; sed facilior videatur esse emendatio, ubi particulam quidem ex compendio male aut scripto aut lecto hoc qñ ortam esse statueris. Etenim uti saepissime in codicibus qı vel qĩ pro quasi, qn vel qñ pro quin aut quoniam scribi soleat, sic nostro loco librarii qñ (quoniam) pro qd̃ (quidem) accepisse videntur. Quod si comprobaveris, verba ipsa legito nobiscum sic: hic in rempublicam nostram labor, assiduitas, dimicatio, virtus digna summo imperatore, spes pro periculis praemiorum, praemia quoniam ipsa non sunt in eius facto, qui adeptus est, sed in eius, qui dedit.

Sed hic subsistendum est; plura, si Deo Optimo Maximo visum fuerit, alio tempore dabimus.

Pag. 18, lin. sup. 13 leg. νομίζοντες pro νομίξοντες.

Schulnachrichten

von Michaelis 1865 bis dahin 1866.

Nachstehende Zeilen sind dazu bestimmt, die mannigfachen Veränderungen darzulegen, welche im Verlauf des verflossenen Schuljahres an unserer Anstalt stattgefunden haben. Da diese nun sammt und sonders durch den am 8. August vorigen Jahres plötzlich erfolgten Tod des Directors, Dr. Friedrich Carl Wex, hervorgerufen worden sind, so darf es angemessen erscheinen, noch einmal auf die vielen und grossen Verdienste hinzuweisen, welche dem Verewigten nach einer fast 32jährigen segensreichen Wirksamkeit ein dauerndes Andenken in den Annalen unserer Schule sichern. Und zwar erscheint dieser Hinweis schon um desswillen geboten, weil, abgesehen von der veränderten Wirksamkeit der einzelnen Lehrer, auch die unten angegebene Lehrverfassung, deren Feststellung wir doch zu den besondern Verdiensten des Verstorbenen zählen, einigermassen davon berührt worden ist, zum Beweise, dass alle menschlichen Einrichtungen im Laufe der Zeit dem Loose alles Irdischen unterliegen und Mängel hervortreten lassen, deren Beseitigung sich als nothwendig herausstellt. Die Hauptverdienste des Entschlafenen treten, von vielen andern abgesehen, hauptsächlich in zwiefacher Beziehung hervor, einmal in der Begründung und Durchführung einer wohlgeordneten Lehrverfassung, und zweitens in der Wiederherstellung einer tüchtigen Schuldisciplin.

Was die erstere anbetrifft, so soll damit keineswegs gesagt sein, als habe eine solche vor ihm auf hiesigem Gymnasium nicht bestanden, wie denn überall ein geordnetes Gymnasium ohne Lehrverfassung nicht bestehen kann. Allein etwas anderes ist es, wenn diese in einem nur lockeren Zusammenhange steht und dem Ermessen und der Neigung der einzelnen Lehrer zu grossen Spielraum gewährt, und ganz etwas anderes, wenn sie festgegliedert genau in einander greift und streng nach dem Alter und nach der geistigen Entwicklung des Schülers berechnet und geregelt ist. Für den Verstorbenen lag die Veranlassung zu einer neuen Feststellung derselben in einem äusseren Umstande. Als er im Herbst des Jahres 1833 sein Amt übernahm, war das aus sieben Classen bestehende Gymnasium Fridericianum die einzige in hiesiger Stadt vorhandene öffentliche Anstalt; eine Realschule gab es noch nicht, und ebensowenig eine öffentliche Bürgerschule, wohl aber existirten eine Zahl von Privatschulen, in denen die hiesigen Bewohner nach Belieben ihre Kinder in den üblichen Gegenständen des Unterrichts unterweisen liessen. Doch war von Seiten der Behörden eine Abtrennung der jetzigen Realschule vom Gymnasium bereits angebahnt, das zur Aufnahme der ersteren bestimmte Gebäude war seiner Vollendung nahe und ein gründlicher Durchbau des Gymnasial-Gebäudes war beschlossen. Um für diesen die nöthige Zeit zu gewinnen, wurde das Gymnasium zu Johannis 1834 in das unterdess vollendete Realschul-Gebäude verlegt